MEMORIA HEUSDII.

MEMORIA HEUSDII.

COMMENDAVIT

JACOBUS ADOLPHUS CAROLUS ROVERS

LITT. HUM. IN ATHEN. FRANEQ. PROF.

Ὁ δὲ ἀνεξέταστος βίος οὐ βιωτὸς ἀνθρώπῳ.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD
ROBERTUM NATAN,
ACAD. BIBLIOP.
1841.

Typis mandavit W. F. Schultze.

HEUSDII

VIDUAE

ET

LIBERIS.

Quum anno 1839 ex Helvetia allatum esset de improviso HEUSDII obitu, luculenter apparuit, decessisse non tantum clarissimum doctorem Academicum, sed etiam virum bonum, cui in studiorum vitaeque conspiratione atque consensu omne positum fuisset felicitatis momentum. Is enim hominum aetate, conditione, moribus diversorum dolor, ii sermones erant, quibus cohonestari eorum modo memoriam animadvertas, qui ad omnem tetenderunt ingenii animique perfectionem. Plurimis hic nuntius acerbus accidit, nemini acerbior quam mihi. Ego amiseram avunculum carissimum, cui, eximio patre mature orbatus, a puero inde non aliter atque filius curae cordique fui. Me quidem quanta caritate amplexus sit Heusdius, multi sciunt, ei autem quid debeam, suspicari aliis licet, verum ego et scio unus et penitus sentio et obliviscar numquam et apte tamen pleneque exponere nequeo. Hoc fautore, hac luce mea et paterna omnino caritate quum me inopinato privatum esse accepissem, quid dicam qua mente fuerim, quam

1

perculsus et prostratus, utque diu nulli libens nec cogitationi indulgerem nec interessem sermoni, cujus non pateret cum Heusdii memoria necessitudo. Ante oculos perpetuo obversabatur imago viri unius in paucis amabilis, eaque contemplanda ut satiari non poteram, ita cupido me capiebat alios quoque ad hanc vocandi contemplationem. Temerariam non diffiteor illam videri cupidinem, quam vel una tenuitatis meae persuasione extemplo comprimere debuisse censear. Profecto feci quod potui. Sed quidquid, ut deterrerer, mihimet ipsi et grave objicerem et multiplex, nihil magnopere proficiebam. Evincebat gratus erga carum caput animus, cujus quidem patefaciendi opportunitatem omittere ita propemodum turpe judicabam, ut, in alterutram partem peccaturus, scribendo mallem imprudenter quam silendo ingrate egisse videri. Quamobrem intendere saltem vires meas omnes et experiri placebat, si quid proferre possem, quod mea pietate dignum, nec Heusdii praestantia penitus indignum existimaretur. Huc autem ubi me contuleram totusque in experiundo eram, peropportune viri quidam docti iidemque egregii Heusdianae disciplinae alumni suos ediderunt, vel in eruditorum coetu vel ad discipulos scholis instaurandis vel alia opportunitate habitos, sermones, quorum alio alia in praeceptore nostro potissimum spectanda praebente, cuncti ad imaginem ejus clarius intuendam et interius cognoscendam proderant. His brevi accedebant ipsius Heusdii schedae manu scriptae, copia, varietate, momento insignes, quas singularis prorsus viduae et liberorum benevolentia liberalissime mihi utendas concessit. Multum igitur aberat, ut ad virium mearum tenuitatem rejicerer. Contra timebam minus, ne subsi-

dia scriptori deessent, quam, ne hic defuturus illis esset, vehementer optabam. Et hoc quam recte tunc optarem, nunc praesertim sentio, ad ea, quae jam dudum mente concipere studui, exponenda veniens. Nam difficile est de desideratissimo viro ita agere, ut misso, qui ipsi graviter displicebat, laudationis splendore, perspicue et vere enarres, a quibus ille initiis profectus, quid postea docendo scribendoque et omni vitae ratione in primis spectasse videatur. Cui exsequendo consilio mea utinam ne voluntati cederet facultas, sed haec efficax saltem esset ad generosos juvenes excitandos, qui complurium instar, gratissimorum discipulorum, Heusdium ad se loqui sinerent, etiamsi sit mortuus! Verum jam de eo referre cupio.

PHILIPPUS GUILIELMUS VAN HEUSDE natus est Roterodami die 17 m. Junii a. 1778, parentibus perquam honestis et bonis. Nam pater Cornelius Van Heusde, qui, Leidae summos in Jurisprudentia honores consecutus, [1]) postea officinae cerussariae sedulo et scienter praeesse quam causas dicere maluit, vir erat solers ac multiplici virtute spectabilis, modestus praesertim, comis, officii publici privatique diligens, indefessae ad ultimam senectutem beneficentiae, eximiaeque pietatis, quem sui in oculis ferebant, cives vero ornatissimis verbis prosequebantur et magistratui suo urbano adscriptum esse gaudebant. [2]) Mater autem Catharina Josina

---

1) Defensa die 22 m. Oct. a. 1761 dissertatione *de donatione ob liberos post eam susceptos non revocanda.*

2) Haec saepius mihi ab ejus cognatis narrata egregie confirmantur

Wybo, privati Medioburgensis civis filia, pietate marito haud cedebat; et, si amore eruditionis cujusdam theologicae quodammodo aetatem suam referret, multo tamen magis, judice filio, animum prodebat Euangelii salubritate vigentem. His parentibus nihil tantopere curae fuit, quantopere educatio liberorum, quos habebant quinque, tres filios, filias duas. Horum Philippus, ordine quartus, puer docilis eoque animo erat, in quo igniculi virtutum a prudenti educatore facile excitarentur. Alpheni *poëmatia* non solum, ut fieri solet, memoriae mandabantur, sed et haec et alia deinde ejusdem scripta penetrabant in mentem eamque ad boni amorem, ad parentum et Dei reverentiam erigebant. Multum quoque placebant et proderant res veterum Hebraeorum, tempora in primis *Patriarcharum*, sua simplicitate et pueris se commendantia, neque adultis, quotquot sensum *pueri* non amiserunt, ingrata. [1]) In iis quidem, quae alios ille de rebus divinis ac virtute disserentes vel e sacra cathedra praecipientes audiebat, multa, quibus obstupesceret, quae vero intelligeret et amaret, pauca fuisse videntur. Sed mater cum eo de iisdem argumentis ad puerilem captum accommodate colloquens et interdum, quum soli erant, omnem caritatis vim, precibus pro eo fundendis, exprimens, dici vix potest quantopere eum caperet et commoveret. Sed pater de Jesu enarrans, pueros ad se arcessente, praeparabat eum qui mature religionis nostrae indolem suspicaretur. Utriusque autem,

---

iis, quae virum plur. Ven. W. Macphail, sacrorum in Scotica Roterodamensium ecclesia Antistitem, d. 30 m. Julii a. 1809, ad celebrandam hujus Presbyteri memoriam, pro concione dixisse video.

1) Van Heusde *School van Polybius* p. 25.

optimis sensibus suscitandis et alendis perpetuo intenti, adjutricem prope fuisse credas filiam natu maximam, Mariam, quippe quae egregia puella sermonibus, exemplo, intimae amicitiae suavitate in fratris animum veluti influens, sic ad decorum honestumque alliceret, ut ipse postea hujus, aeque ac parentum, gratus semper meminisset.

Interea puer auspiciis primum praeceptorum Roterodamensium tum Delphensis magistri, cui etiam in convictum traditus erat, sedulo operam dedit iis artibus, quibus haec aetas erudiri solet. Decem annos natus eadem facilitate Francica utebatur atque patria lingua; et eos quidem progressus fecit, sic magistris et industriam probavit et ingenii bonitatem, ut parentes, dulcissima spe horum judicio confirmata, haberent quod sibi de filiolo gratularentur. In hujus laetitiae communionem nonnumquam veniebant cognati Medioburgenses, qui, quotiescumque Roterodami ab Heusdiis hospitio excipiebantur, summam ex hoc adolescentulo voluptatem capiebant eumque, nullis non blandis verbis appellantes, tanto amore prosequebantur, ut, quum *ἄπαιδες*, non vero *ἀχρήματοι* essent, adoptionis consilia agitarent. Quae tamen effectu caruisse summopere gaudemus, dubii quippe, an Heusdius alioquin, Academicis studiis peractis, vitae privatim in literis degendae cupidini satis efficaciter resistere potuisset. Patrem autem grata illa omnia a prudenti educationis via haud abduxerunt, neque, quae nonnullorum est perversitas, vir optimus decrevit hos filii progressus continuo ad *προπαιδείαν* convertere illius vitae conditionis, quam amplexus ipse fuerat; verum hunc, familiarium in mercaturam incumbentium sermones et disputationes nihil

ferme curantem, haud invitus discendi studio indulgere veterumque linguarum elementa in Erasmiano Gymnasio percipere sivit.

Ac primum quidem adolescentulus illic diligentiae praemiis ornatior quam justis progressibus insignior fuisse videtur. Cujus rei causam quaerenti ipsa Heusdii verba tradam virili aetate scripto mandata: « pessima erat scholarum Latinarum conditio; parum intelligebamus, quae docebamur. » Amarae profecto disciplinarum radices, ubi quid memoriâ, non item quid mente et sensu comprehensum sit, spectant magistri! Quamquam haec verba cavendum ne ad primam Gymnasii classem referamus. Nam huc provecti magna Heusdii felicitas fuit, qui doctorem nancisceretur egregium. Hic erat Johannes Adamus Nodell, Schraderi et discipulus et, post Kootenium, in Franequerana historiarum, eloquentiae atque poëseos cathedra successor indeque brevi Roterodamum profectus ad Rectoris munus titulo Professoris honorarii gerendum, variae et elegantis doctrinae vir, miraque adolescentes φιλομαθεῖς literis humanioribus conciliandi facultate. Antiquos scriptores probe cognitos habens, regnabat in poëtis, quorum venustus doctusque interpres, venusta ipse carmina pangebat. Hoc praeeunte viro, in justae interpretationis viam ducebantur discipuli, et vel unius Homeri explicatio quis definiat, quantum provectioribus ad delectationis cognitionisque fructum prodesset? Nodellio ut multi debuerunt multum, ita Heusdius eo plus debuit, quia e publica in privatam transiit optimi magistri disciplinam. Quum enim, Erasmiani spatiis honorifice decursis, die 21. m. Decembris a. 1794 oratiunculam de *Claudio Civili* habuerat, non, ut in more positum, statim studiorum

gratia unam alteramve Academiam adiit, sed, patre vehementer probante, Nodellio suo solus frui decrevit. Salutare omnino consilium, etiamsi progressuum, quos vulgo dicunt, modus id minime requireret. Qui enim Homeri interpretatione delectatus fuerat, Wyttenbachio saltem satisfecisset, eo ipso tempore postulanti, ut discipuli ad Graecarum literarum scholas cognitionem adferrent declinationum et conjugationum ediscendis Rudimentis comparatam, nonnullumque construendae orationis Latineque reddendae usum.[1]) Verum alios hîc volo progressus, in quibus partes habet aetas, et ideo Heusdium Roterodami manere praestabat, quoniam sedecim tantum annos natus erat. Qua aetate quotusquisque maturuit ultimae illi juventutis institutioni, cui perficiendae inservire Academiae debent? Nondum is est judicii vigor, nondum ea ingenii animique firmitas, quibus Academica institutio et vero vita convenit, sic quippe comparata, ut, qui ea recte fruuntur, semet ipsos excolere et regere, suis ipsi viribus progredi discant. Quod utinam perspicerent parentes, neque tantillae aetatis filios, assiduos licet et variarum rerum peritos, ad Academiam volare sinerent; sed naturae obtemperantes, quae festinat lente et optimum quodque ultimum maturat, interea facultatibus liberorum, convenienter aetati, prospicerent, atque ita quidem magis prudentiusque, ut hae videntur praestantiores! Hinc cujusmodi fructus capiantur, judicent ipsi, si forte hunc inspiciant librum.

Nodellio haud ingratum acciderit consilium, quo

---

1) Praef. prioris ed. *Select. Princ. Hist.* p. XXV.

omnem disciplinae ubertatem adhibere adolescenti posset, qui non per vitae institutum antiquas literas sibi sumserat tractandas, sed ipsius naturae quasi propensione amplexus eas erat et colebat. [1]) Huic naturali studio magister continuo alimentum quaerebat a poëtis. Quorum ipse flagrabat amore, hi quidni optasset ut alumno in deliciis essent? Itaque legebantur Homerus, Horatius, alii, tum e scholastica institutione haud ignoti, tum nulla adhuc lectione cogniti, omnes autem diligenter, grammatice apteque ad pulcri sensum acuendum, ad eliciendum et confirmandum quidquid intus lateret. Nodellii curae par erat Heusdii in discendo alacritas. Quos ille celebrabat poëtas, hic, domesticis quoque studiis relictos, serius ocius evolvebat, et libens ad difficiliores deinceps, duce magistro, explicandos progrediebatur, quorum in numero Sophoclem suspicor, Aeschylum scio fuisse, poëtas omnino, ut ipsius verbo dicam, devorabat. [2]) Sic autem affectus mirumne si, poëtae discipulus, versibus faciendis operam daret? Hos omni Nodellianae institutionis tempore fudit plures, Latinos et Neerlandicos, argumenti non tantum domestici, verum etiam literarii, celebrando illustri ex antiquitate viro factove, vel locis veterum, veluti Sophocleae Antigonae, poëtice vertendis. Deinde rarius versus faciebat, amicorum tantum causa, ad gratulandum compositos. In omnibus agnovimus adolescentem, sed adolescentem familiarium admiratione non inflatum, genero-

1) Sic ipse de se scripsit Heusdius in Dedic. *Speciminis Critici in Platonem.* p. VII.

2) In *Epistola ad Creuzerum* praemissa *Initiis philosophiae Platonicae* p. 3.

sissimis amoris, virtutis, grati animi, pietatis sensibus imbutum. Eos autem ex temporis ordine legentibus non dubia est ingenii ab ampullis ad simplicitatem progressio.

Erunt fortasse, quibus haec poëtica videatur institutio, neque Heusdio satis ea conducere potuisse ad illam studiorum rationem, quam postea maxime tenuit. Ego contra, quotiescumque virum cogito, acerrimo pulcri sensu praeditum eique rite exculto plurimum debentem, toties praeceptorem perae pretium fecisse arbitror illo literarum genere commendando, quo ad sensum huncce mature alendum aptius esse nullum potest. Praeterea multum aberat, ut veteres tantum poëtas eosve, qui horum linguâ carmina fuderant, in ore haberet Nodellius. Memorabat adeo literas recentiores, quorum nec ipse ignarus erat et amorem in provectioribus discipulis suscitabat. De Molierio in primis, Racinio, Wielando, Blairio sermones erant; omnino, prouti generosus magister, juvenem nactus discendi cupidine incensum, ipse incenditur et totus in hoc est et ultro alia ex aliis attingens argumenta sermonibus hisce totam interdum commovet mentem: sic illè Heusdium, suo ab ore pendentem videns, multiplici exercebat materia et tamquam stimulabat cognitionis sitim. Et quod antiquas literas attinet, etiamsi ligatae saepius quam solutae orationis scriptores expliciti videantur, hos tamen neglectos suspicari vel Plutarchi vetaret interpretatio, magistro monente inchoata, scriptoris Heusdio per totam vitam dilecti. Sed non dilectorum modo, verum dilectissimorum etiam et carissimorum scriptorum, Platonis et Francisci Hemsterhusii, hic illi debuit notitiam. Annum agebat septimum decimum, quum Nodellius, nescio qua opportunitate, e scrinio promebat Hemsterhusii opera,

legebatque ei ex epistola de *appetitibus* locum de amicitia, amore et matre ἐνθουσιώσῃ.[1]) His, quemadmodum multi continuo credent, mirifice captus adolescens, aliquanto tamen post ad epistolam pergebat de *homine ejusque relationibus*. Sed hîc, ipso teste, merae tenebrae, nonnihil quidem tenuiores quum deinceps ad dialogos progressus esset, non vero pulsae; neque tamen a scriptore deterrentes, cujus intelligentiam omni virium intentione sibi optabilem judicabat. Idem de Platone judicium, operibus philosophi in Nodellii museo conspectis. Hic enim, postquam cum ipso legerat Tulliani Bruti locum, «*quis uberior in dicendo Platone? Jovem, ajunt philosophi, si Graece loquatur, sic loqui*,» mox eadem celebrare, inque Platonis laudes excurrere coepit, tum inter narrandum scripta ejus monstrans, tantae suavitatis ne diu se ignarum pateretur, discipulum adhortari.[2]) Eo sermone nullus Heusdium illis temporibus advertit magis. Dicere solebat, se incaluisse prorsus ac nihil duxisse prius quam ut justam nancisceretur Platonicorum operum editionem. Quam ubi tandem suo sibi aere comparaverat Bipontinam, ad illum accessit scriptorem, qui ecquem nostratium sui invenit studiosiorem? Et operam quidem in eo dehinc Roterodami positam satis assiduam fuisse et vero diligentem, ex Apologiae, Phaedri, Symposii et Phaedonis lectione patet, eum in modum illic absoluta, ut jam librariorum nonnulla vitia deprehensa essent et aliquot conjecturae in mentem

---

1) Vid. Hemsterhuis *Lettre sur les désirs*. II. 206—208. ed. Weyerianae.

2) Haec partim narrantur in *Epist. ad Creuz.* p. 3. cf. Praef. *Spec. Crit.* p. XII.

venissent, quibus suum dein locum in *Specimine Critico* haud visum sit negare. [1]) Sic Nodellii commendatione notitia duumvirorum contracta, quorum uter ad alterius sibi plus profuerit intelligentiam, postea ipse dubitavit.

Quo tempore adolescens literarum amore flagrabat, neutiquam frigebat in disciplinis mathematicis, quarum juste tractatarum vim in omni studiorum genere postea saepe celebravit. [2]) In his magistro utebatur Jacobo de Gelder, viro solertissimo doctissimoque, [3]) hos viginti duos annos Leidensis Academiae ornamento, tunc autem Roterodamensem linguae Francicae et Germanicae scholam moderante et matheseos, astronomiae, geographiae artisque nauticae praeceptore aestumatissimo. Hujus de discipulo sententiam quaerentibus ipsa juvat senis verba referre, qui, «Heusdius — ait — non in iis alumnis erat, quorum brevis dies delet memoriam; contra in praestantissimos eum referebam adolescentes, quocum ob summam laboris constantiam ac diligentiam jucundas omnino horas transigerem. Anno 1795 a patre meam in disciplinam traditus, usus ea fuit ad annum 1797 fere medium, eoque biennio non in arithmeticae tantum extensionisque elementis, verum etiam in analysi sublimiori, geometria describente et analysi geometrica permagnos fecit progressus,

---

1) Haec Goudoeverius se ab ipso Heusdio accepisse testatur in *Sermone ad discipulos habito die XVIII. m. Septembris anno MDCCCXXXIX.* p. 11.

2) *Brieven over den aard en de strekking van Hooger Onderwijs* p. 145. *Init. phil. Plat.* II, 2. 47 sqq. *Socratische School.* I, 167 sqq. et 243 sqq.

3) *Init. phil. Plat.* II, 2. 57.

ac praeterea me audivit physicam experimentalem, geographiam et astronomiam mathematicam sibi adumbrantem. Nullum ei theorema, ad progressus exactum, explicandum ponebam, quo elaborando mihi non satisfaceret. Affirmare ausim, si quidem disciplinis mathematicis operam porro dedisset praecipuam, nec sibi antiquas literas praecipue colendas sumsisset, eum principibus nostrae aetatis mathematicis haud cessurum fuisse. Ingenii autem acumini eas jungebat virtutes, quae adolescentiae decori sunt et ornamento. » [1]) — Hinc velim exemplum sumant juvenes nostri variis doctrinis destinati. Spernant mature vulgi vocem, studia mathematica parvi facientis, quorum tamen momentum vel ei est continuum, cujus de memoria pleraque exciderint theoremata. Tam sua aliquando diligentia gaudebunt quam mea equidem negligentia doleo.

Sed, ut illuc redeam, Nodellii privata institutione triennium fere exactum est tantae tamque jucundae utilitatis, ut Heusdius semper illud libens et gratus recordaretur. Didicerat ab eo, quem pariter coluit atque sui expertus est amantem. *Diligere* antiquitatis monumenta coeperat. [2]) Amicos habuerat in primis bonos, quorum integerrimo, Colloto Descurio, germano Nodellii discipulo, familiariter uti numquam desiit. Doctrina vim promoverat insitam. Parentum monita et vero exem-

---

1) Gelderus superiore anno a Kistio rogatus, si forte veteris alumni sententiaeque ante hos quadraginta annos de eo latae meminisset, non tantum sententiam hancce per literas collegae diserte exposuit, sed plenissimam dedit ea utendi veniam. Quod ubi intellexeram, epistolam sic vertere decrevi, ut doctissimus senex, hanc fortasse inspiciens scriptionem, animadverteret, me verba ipsius haud profecto ornatius reddidisse.

2) *Socrat. School* I, 14.

plum praestantissimum mentem ad recti cultum roboraverant; ut paucis complectar, undeviginti annorum juvenis aptissimus erat, qui institutione Academica erudiretur.

Hac pater, suadente in primis Nodellio, 1) eo facilius filium in Athenaeo Amstelodamensi frui sivit, quia illud Crassus tunc ornabat, JCtus eximia docendi facultate non magis quam eruditionis elegantia et varietate celeberrimus. Paternâ veniâ filius vehementer delectabatur, *et* quandoquidem Crassum juris disciplinam conjungere audierat cum Ciceronis atque antiquae philosophiae studio, *et* multo magis ob veterum literarum in eodem Athenaeo doctorem, quem jam dies noctesque cogitabat. Scilicet Nodellius, ut saepe discipulis, tam ingenii quam animi causa, de magnis diversarum aetatum viris referebat, ita Heusdio suo, Plutarchi et Platonis studioso, insuper suspicandum quodammodo dederat, quis esset *Wyttenbachius.* «De hoc enim — ut ipsis discipuli verbis exponam — ille narrare subinde solebat et efferre ejus laudes: hunc principem jam esse literarum: edere Plutarchum, palmarium opus: se ipsum apparatum vidisse

---

1) Alios etiam suasisse, haud nego. Quin Cons. Toussaint Woordhouder, JCtus Roterodamensis, qui Heusdii patre familiariter utebatur, cujusque versiculus filii orationi inaugurali additus est, accepto *Specimine Crit. in Platonem*, cecinit:

Pallada ut Amsteliam viseret auctor eram.

Sed hoc ut interpreter *quoque auctor eram*, ipsius poëtae versio facit:

Dit mag ik . . . . zeggen,
Dat ik door mijnen raad ook oorzaak ben geweest,
Dat hij aan Amstels school daartoe den grond mogt leggen.

Omnino exploratis perpensisque, quae huc pertinent, omnibus, Nodellium praecipue credo, eâ, qua dicam, ratione patri persuasisse, ut Athenaeum Amstelodamense Academiae Leidensi anteponeret.

aliquando et obstupuisse: haud quidem eum poëtas amare, certe recentiores Latinos: sed antiquos in succum et sanguinem vertisse: Platonem vero admirari, sublimem philosophum, sublimem pariter poëtam, intelligere autem illum neminem mortalium magis. — In his, ait Heusdius, dictis erant, quae non continuo assequerer: nam equidem devoraveram poëtas; sed quod de Platone acceperam, hoc memori pectore recondebam. Placebat enim hic mihi vehementer, nec quidquam optabam magis, quam ut talis mihi obtingeret divini philosophi interpres, qualis adhuc obtigisset poëtarum veterum et recentiorum.» [1])

Ineunte mense Octobri a. 1797 Heusdius Amstelodamum venit, notus nemini, nullaque spe fore ut brevi cum aequalibus amicitias jungeret. Nam civibus Athenaei variae eo tempore deerant opportunitates, quibus bonarum artium studiosi facillime copulantur rationumque necessitudines contrahunt. Illi, Amstelodamenses plerique, parentumque hospitio utentes, in suorum quisque cognatorum et familiarium circulis acquiescebant; et, si sodales inviserent a pueris in eadem urbe educatos et institutos, exteros, praestantissimorum Athenaei triumvirorum, Swindeni, Wyttenbachii, Crassi, fama huc subinde allectos, extra scholas Professorum tamdiu vix curabant, quamdiu contrarium operae pretium esse haud constiterat. His ita comparatis, fortunam Heusdius fautricem habuit, quae eodem ferme tempore Dordraco Amstelodamum attulerat bonae spei juvenem A. A. Stratenum. Ambo advenae, socii difficultatum, mox dextras

---

1) *Epist. ad Creuz.* p. 3.

jungebant, et sic alter sensim alterius sermonibus, ingenio, consuetudine delectabatur, ut fere semper una essent indeque a sodalium nonnullis *Orestes* et *Pylades* appellarentur. Quam quidem animorum conjunctionem nulla umquam loci disjunctio munerumve diversitas, sed mors sustulit.

Interim Heusdius in scholas ventitabat Swindeni geometricas atque physicas, Crassi de Institutionibus juris Romani, Wyttenbachii de antiquis literis diversas. Hîc autem ei acciderat, quod in summam exspectationem adducto submolestum fuit, ut, quae de Wyttenbachio animo praeceperat, non statim confirmaret eventus. Quod tamen minime mirum tenentibus, hunc neque ore nec habitu nec voce et pronunciatione se magnopere ignotis commendasse, ut eos continuo alliceret. Esse, inquit Heusdius, eum putasses probum hominem et honestum, sed unum de multis, ceterum subtristem et severiorem. Sic et vulgus de eo judicabat et juvenes recens in Academiam delati, nec me (fatebor enim) statim cepit. [1]) Accedebat quod scholarum Graecarum initio anni Academici simplicitas, licet discipulis in elementis adhuc haerentibus, unice accommodata, Heusdii progressibus non omnino satisfaceret. Qua de re quum Nodellium certiorem reddiderat *τὸν γενναῖον φιλὸν*, illud ab eo responsum tulit, quo in spem erigebatur fore ut Wyttenbachius ipsum brevi cognosceret. Et sane brevi huic suspicio orta est de discipuli ad praeclara capessenda alacritate; primum, ut utriusque

---

1) Haec e schedis *MSStis* ducta partim indicantur in *Epist. ad Creuz.* p. 10.

operum lectores minime latet, memorabili illa vespera, qua Wyttenbachio novum et inexspectatum accidit, adolescentem modo ex puerili disciplina prodeuntem, Platonis et cognitione tinctum et studio ardentem, ad ipsum venire: Heusdius autem sermonibus tum habitis inflammatus aliaque omnia de Wyttenbachio censens, ita se, domum redux, in Platonis lectionem conjecit, ut arctissime dehinc huic scriptori devinciretur.[1]) Sed confirmata est, quam dixi, suspicio in ejusdem viri scholis. Quorum quae dabantur veterum scriptorum interpretationi et Latine scribendi exercitationibus, aptissimae ad discipulos explorandos erant. Illic enim suas quisque partes agebant, ac magistro praeeunte, monente, interrogante, ad diligentem primum linguae et verborum, tum rerum explicationem exercebantur; porro singulis hebdomadibus stilo exercendo vel accuratiores locorum quorumdam paraphrases vel varii argumenti scriptiones legebantur, in quibus dijudicandis Wyttenbachius severum se probabat Latinitatis judicem; ubi vero emendationem requiri indicaverat, hujus nec causam nec modum prius, quam scriptoris ceterorumque auditorum accepta sententia, tradebat. His exercitationibus et assiduis et a principe tum Latine scribentium ordinatis pure et eleganter scribendi studium admodum excitatum fuisse, et omnino multos Wyttenbachii alumnos ad hanc facultatem adeo profecisse, ut ipsorum commentationes hoc nomine a dissertationibus alibi prodeuntibus dignosci possent, non desunt qui affirment.

---

1) Wytt. in *Epistola. ad Heusdium*, hujus *Spec. Crit.* praemissa p. XXVI. *Bibl. Crit.* III, 3. 66. et Heusdius in *Epist. ad Creuz.* p. 4.

In scholis hisce omnibus Heusdius respondendi ac scribendi partes strenue agebat. Quod praeceptorem eo celerius perspexisse credo, quo citius discipulum accepi condiscipulorum oculos in se convertisse. Erant, qui peregrinum juvenem, discendi ardore conspicuum, id est ea laude spectabilem, ad quam clarissimi triumviri quovis modo Athenaei cives inflammare conabantur, sibi notiorem fieri cuperent. Horum voto ut satisfieret, horae praesertim fecerunt pomeridianae, quas Wyttenbachius singulis diebus Veneris tres destinabat auditoribus sui adeundi cupidis. His circulis nihil juventuti, verae laudis appetenti, utilius. Tum sermones conferri de scholis et studiis literarum, de scriptoribus eorumque operibus diversis; tum Wyttenbachius narrando et interrogando unumquemque elicere, incitare, monere; tum inter seria ac jocos commilitones se mutuo animadvertere et aliorum alii amicitiam optare, magister vero omnium non tantum ingenia perspicere, sed penetrare saepe in intimos animorum recessus. Inde *quantum* Heusdio emolumentum obtigerit, definiant licet, qui in hisce nihil metuunt opinionum commenta. Ego simpliciter referam, quae cognovi.

Postquam igitur ille Athenaei civibus hac ratione innotuerat, ultro in praestantissimorum familiaritatem recipiebatur. Altero curriculi Academici anno quum a Crassi discipulis novum sodalitium jungeretur, *Literarum studia amicitiae vinculum*, jurisprudentiae illud pariter atque literis dicatum, Heusdium in primis socium cooptare placuit. [1]) Cujus consilii haud fuit

1) Veteri Crassi discipulorum sodalitio titulus erat:
Du choc des sentimens et des opinions
La vérité jaillit et s'échappe en rayons.

quod quemquam poeniteret. Consuetudine enim miscebat utile dulci et ita tempore utebatur, ut numquam ei coram amicis confabulandi materia deesset. Scilicet haec vita erat, totâ mente incumbere in studia. Quotidiano scholarum penso mature domesticam adjecit commentationem, scriptores Graecos et Latinos, omniumque maxime Platonem et Ciceronem, accurate legere instituit convenienterque Wyttenbachii praeceptis in praefatione ad *Principum Historicorum Selecta;* cujus viri scripta tum alia, tum Bibliothecam Criticam, Censuras praecipue Euripidis Musgraviani et Ciceronis Ernestini, tum vero eam ipsam praefationem lectione frequentabat. Illa orationis castitate, facilitate, elegantia, illa monitorum praestantia et copia exemplorum atque sententiarum, illa disputationum de antiquis scriptoribus ubertate, quae eo tempore juvenibus saltem in bonorum Enchiridiorum inopia novae accidebant, Wyttenbachianae omnino rationis et orationis laudibus attendendis et meditandis satiari haud poterat. Cui justae lectioni quum frequens scriptio accederet, eam sensim Latinae orationis sibi comparabat bonitatem, quam condiscipuli admirarentur, laudaret Wyttenbachius. Simul strenuam navabat operam recentiorum literis et vero philosophiae, atque eo ipso tempore Baconem, Lockium, Cartesium, alios, e seriorum adhuc judicio cognitos, ipsos legere instituit. Quidquid inchoaverat, huic instabat, non desistens coepto, priusquam illud pro viribus absolverat, nec se videri doctum, sed fieri

---

Utrumque autem sodalitium quum a. 1808 coaluerat titulo: *vigemus concordia*, mox rogantibus sodalibus haec ab Heusdio data fuit venia, ut honoris causa suo ipsum coetui socium adscriberent.

cupiens. Quamquam nonnulla eorum, quae tunc jam in dagabat, sic comparata erant, ut ad probabilem exitum ea perducere nondum posset; quo v. gr. disquisitiones pertinent de communi artium et disciplinarum vinculo. 1)

A studii autem constantia parum se avocari patiebatur multiplici, quam magna urbs praebet, honestae oblectationis opportunitate. Parce spectaculis musicis et dramaticis intererat, tantumque partes agentibus iis, qui nostratium judicio prope perfecti comoedi habebantur. Si quando diutius quam pro juvenum more se abdidisset literis et humanam tandem faciem adspicere, vocem audire cuperet humanam, adibat subinde *thermopolium*, ubi tamen non multum temporis ipsi perire potuit. Nam, auditis aliquantisper disparibus sermonibus, serius ocius in angulum cubiculi se recipiebat, et, ephemeridibus, ne aliena agitare videretur, juxta positis, aut ea, in quibus modo elaboraverat, animo volvebat, aut Kantii promebat vel Hemsterhusii librum. Hoc postea familiaribus suis enarrans, subridebat fere si cuipiam inde profecisse videretur ad facultatem, qua eum eximie valere noveramus, in majoribus quoque coetibus graviora mente agitandi et persequendi, quam quibus audiendis alii interea cruciabantur. Et ego paucis ante obitum mensibus in Museo Trajectino vultum illum cogitabundum contemplans, cui ephemerides nescio quae subjectae erant, pristini vestigia moris mihi agnoscere videbar. Verumtamen a studiorum intentione nusquam se libentius recreabat quam in amicorum circulis. Illic sodalis jucundus, laetitiaeque non effusae,

1) *Socrat. School* I, 1.

sic mentionem de communibus literis faciens, ut facetiarum leporem haud respueret, numquam in scurrilitatem, nedum in indecora delabens, porro candidus, a superbia haud alienior quam ab adulatione, nihil suspicax, offensiunculas et ipse leniter ferens et ad lenitatem ac benevolentiam auctor, suorum tamen sibi conscius *principiorum* eorumdemque in agendo tenax, is omnino sodalis erat, quem et excipere et adire longe gratissimum habebatur. 1) Quodsi cum paucissimis illis una esset, quibuscum intima familiaritate se conjunctum sentiebat, Strateno, Chr. Joh. Vaillantio, Cliffortio, tum vero animi ad omnem omnino explicabantur amicitiae non tantum dulcedinem verum etiam utilitatem, ubi se quisque in altero contemplari gestit, et haec radices capit persuasio, *amicitiam nisi in bonis esse non posse.*

Sed qui hac voluntatis significatione a praestantissimis ornabatur condiscipulis, qualis tandem e variis dijudicandi opportunitatibus visus est Wyttenbachio? Dignus interiore admissione, dignus quocum praeceptori singularis benevolentiae necessitudo intercederet, adeo ut privatim illi hunc adire et eximie prorsus in studio literarum, in studio praesertim Platonis, a magistro juvari contingeret. Hoc in Wyttenbachii fiebat bibliotheca vesperis illis, quarum summum sibi momentum Heusdius nos latere noluit, ego autem cavebo ne meo-

---

1) Haec cognatis vetus affirmavit condiscipulus T. Van Der Feen JCtus Amstelodamensis, qui pro singulari erga Heusdium suum observantia de commoratione Amstelodamensi multa mecum communicanda curavit, quibus equidem gratus in hac scriptione usus sum.

rum tenuitate verborum minus plene enarrem. Ipsum audire praestat Creuzero haec scribentem. «Solebam — inquit — Wyttenbachio identidem afferre loca Platonis quae non intellexissem: ille autem vespertinis potissimum horis inter Socratica, si non pocula, certe monita et colloquia, quae longe mihi accidebant dulciora, una mecum erat in bibliotheca et totum se mihi dabat. Legens igitur mecum loca illa, singulis diligentiam adhibebat summam, ut exquireret primum verborum structuram, tum singularum vocum dictionumque usum et significationem, ne minimis etiam particulis omissis. Quibus singulatim patefactis, haud desiderabam ego universae sententiae interpretationem. Nam, eo duce, sponte mihi videbar eam totam esse assecutus. Tum vero, explicito loco, ego fere ad alium progredi et festinare, quem pariter intelligere averem: ille vero non sinere. Lente, o bone, inquit, festinandum est nobis: nondum enim Atticam formam attendimus, nondum Platonicam, nondum exquisitum verborum usum, exquisitam nondum totius sententiae elegantiam. Fiebat ita non raro, ut una sententia, unum etiam vocabulum per integram nos horam retineret. Cujus tamen me morae neque tum taedebat, neque vero postea poenituit. Nam voculis ille explicandis, explicabat mihi simul et commendabat Graecae linguae dotes admirabiles, [1]) Atticae dialecti venustatem, ipsam urbanitatem Atticam: eloquentiae in primis vim nativam, quae non in tropis, figuris, imaginibus ornamentisque oratoriis cernitur, sed proprio exprimitur et exquisito verborum usu: apud Platonem praeser-

---

1) Cf. omnino *Spec. Crit.* Praef. p. XII.

tim, cujus verbis et dictionibus tota antiquitas quam plurimum tribuit auctoritatis. Itaque frequentia ejus erant monita: mitterem novitios philosophos, qui de Platone ejusque philosophia scripsissent: mitterem compendia philosophiae Platonicae: ducerem hanc ex ipso Platone: nam fontem esse petendum, non rivulos, fontem autem esse maxime ipsam Platonis linguam, quippe quae mentis philosophiaeque Platonicae quasi expressam contineret imaginem. Haec ille crebro et tum et postea. Quodsi nunc ego hac interpretanda philosophia quodammodo videbor operae pretium fecisse, totum hoc debuero vesperis illis Amstelodamensibus, quas in bibliotheca transegi Wyttenbachiana. Nam e sermonibus, quos illic mihi habere licuit cum humanissimo viro, fructum cepi sane multiplicem, ut diligentiam adhibere tam minimis rebus, quam maximis, discerem: perspicerem plane, neglectis illis minimis, majores amplioresque cognosci nullo pacto posse: grammaticae interpretationis vim persentirem et necessitatem: cognoscerem Grammaticorum libros eorumque interpretes, et sic mihi ipse quasi instrumentum pararem, quo Platonicos mihi dialogos aperirem: tum vero hunc fructum inde percepi longe uberrimum, ut facillime inducerer, quod sine duce perquam est difficile, in Platonis singularem plane scribendi philosophandique rationem: quae ut tota diversa est a recentiorum consuetudine, ita a paucis omni aevo rite intellecta est.» [1]) — Haec ille a. 1825; unde et Wyttenbachii de Heusdio sententia patet, et Heusdii intelligitur

---

1) *Epist. ad Creuz.* p. 7.

erga Wyttenbachium augescens in dies amor et observantia. Tenendum autem, haec beneficia collata fuisse non in discipulum veteranum, multorum annorum haud intermissa sedulitate cognitum probatumque, sed in novitium propemodum, saltem ultra secundi anni partem priorem ea conferri haud potuisse. Nam vere primo a. 1799 Wyttenbachius Amstelodamo Leidam migravit Ruhnkenio successurus. Quantam Heusdio jacturam! Quamquam longe major eadem futura fuisset, ni jam dudum ipsum tantopere sibi devinxissent literae, ut optimi praeceptoris absentia nihil quidquam de magnitudine amoris detrahere posset.

Etenim, profecto Wyttenbachio, inchoatum ille Platonis tractandi opus urgebat, hunc domi legens et relegens. Ceterum morem suum servans, in philosophia operam dabat Swindeno, in jurisprudentia Crasso. [1]) Utrumque doctorem permagni faciens, Swindenum dolebat rebus publicis saepius avocari, Crassum vero, quo ei et magis assidue et familiarius uti licuit, insuper amabat. In literis habitans, prout tunc ipse scripsit, excurrebat in jurisprudentiam, omniaque vel hinc vel aliunde collecta ipsarum in usum convertere conabatur. Illud autem *aliunde colligere* non arcte circumscriptum fuisse, e Kantianae v. c. patet philosophiae studio diligentiore, cujus in ipsis adeo ad Wyttenbachium epistolis indicia reperiuntur. Crassi scholis ut diligentius majoreque cum voluptate interesset, fecerunt in primis ea, quae partim jam Roterodami acceperat, studium orationis in dicendo scribendoque ad veterum

---

1) Wytt. in *Epist. ad Heusd.* p. XXVII.

exemplum componendae, studium Ciceronis et philosophiae, quo hic JCtus discipulis praeire eosque incendere avebat. Crasso, etsi perspectum habenti, quo Heusdius tenderet, quid maxime ipsius ex institutione delibaret, idem tamen unus in paucis dilectus erat. Invitabatur adeo ad epulas, quibus ille identidem cultissimos amicos excipiebat, quaeque, in vario palati excitandi instrumento, exquisitae demum sermonibus erant in omnem elegantiarum doctrinaeque partem diffusis et facetissimo sale sparsis. Ea opportunitate juvenis in multos incidit Amstelodamenses, quos cognoscere operae pretium videbatur, et perspexit, quo apud hos loco esset convivarum sibi exoptatissimus, Hieronymus de Bosch, elegantissimae ille doctrinae summique candoris vir, juvenum ad antiquitatis studia, ad veram laudem et virtutem efficax impulsor, Heusdii autem a prima notitia per Nodellium conciliata fautor eximius, qui eum omni officiorum genere, instructissima item bibliotheca juvabat, quin ut filium diligebat. 1)

Ex iis, quae adhuc de commoratione Amstelodamensi memoravimus, suspicari licet, Heusdio eam non modo perutilem, verum unice jucundam fuisse. Sed fit interdum, ut, cui omnia suppetere censentur ad vitam ex voto degendam, intus adsit, quod jucunditatem illam valde minuat. Huc a generosis liberis suae ipsorum refertur et parentum voluntatis in re gravissima dissimilitudo,

---

1) Ipso Heusdio teste in *Epist. ad Creuz.* p. 12. — Boschii, scriptis clari, nomen ad omnes Latine doctos propagavit venustissima Wyttenbachii epistola. Neque tamen memoriam Boschii non summo jure in *Instituti Reg. Neerl. Classe tertia* celebravit clar. D. J. van Lennep.

quae quam repugnare pietati queat, Heusdius Amstelodami penitus sensit, nec quadraginta ferme annis post penitus oblitus fuerat. Scilicet quum jurisprudentiae destinatus esset, pater ei mature hanc commendaverat disciplinam, dignamque prae aliis omnibus dixerat, in quam tota mente incumberet. Quamobrem progressibus filii in literis antiquis et summo discendi ardore plurimum quidem gaudebat, sed magis ejusdem laetabatur assiduitate in adeundis jurisprudentiae scholis et e progressibus illis, in diligentissimum juris studium convertendis, bona omnia augurabatur. Biennio autem exacto, juvenem paulatim negotiis fori assuefieri oportere censuit. Itaque crebrae de audiendis identidem causarum patronis literae erant, hoc item argumento paternam opinionem urgentes: «quod majorem in modum suadeo, mi fili, hoc tibi multum proderit. Praeparatio erit ad instantem vitae conditionem. Primum enim te causarum patronum, tum honorifica in civitate munera obeuntem gestio videre.» — Heusdius patri obtemperans, causis apud judices agendis subinde intererat, attente omnino audiens, sed parum intelligens, iis autem, quae intelligebat, a jurisprudentiae studio alienior quam ad id propensior evadens. Displicebant rerum forensium tricae, spinosum disceptandi genus, argumenta ipsius a deliciis remotissima, de furto, foribus effractis, mala fide in syngraphis, alia id genus plura. Crassum, jus naturae et Grotium explicantem, multum in naturae lege celebranda, in juris effatis philosopha ratione exponendis, ad Ciceronem et optimos quosque scriptores provocantem, cum voluptate audiebat; verum illud causarum agendarum negotium, quod ipsi, proh dolor! praecipuum foret, quo tandem modo disceret, minime

perspiciebat. Id fatebatur paucissimis, cum suarum fermo literarum laudatione; quibus auditis, Boschius, «eja — ajebat — tu perge quo coepisti, lege praesertim Homerum et Horatium: triduo hercle te JCtum profiteri poteris:» Wyttenbachius vero, «hoc tempus — inquit — justo brevius, nec Cicero serio locutus est, sed sequere ingenium: sui cuique mores fingunt fortunam:» amicorum denique integerrimus, Stratenus, quocum ipse et in aliis multis et in judicio consentiebat de causarum patrocinio, etsi in re, patri gratissima, filio quidquam suadere non auderet, literas tamen haud dissuadebat. In his igitur Heusdius, divino quasi impetu afflatus, eadem porro diligentia versabatur, animo tamen sollicito subinde et anxio, ac si reapse officium suum desereret. Quoties in Petrarchae memoriam redibat, Ciceronem suum studiosissime legentis, quum pater, jurisprudentiam filio obtrudens, hunc necopinato invisebat, et, tristi ardore abreptus, istos Ciceronis libros in ignem conjiciebat! Verum ubi maxime sibi ipse displicebat, ex insperato commutabantur omnia. Anno enim a Wyttenbachii profectione exacto, Heusdii pater Amstelodamum venit et Crassum in primis salutatum adiit. Continuo ille quaerere de filio, hic praesentem discipulum modice laudare: tum rogatus ecquid juvenis aliquando fieret, «nihil prorsus — ajebat Crassus — nisi *Literator:* causarum patrocinio neutiquam aptus est et quod munera attinet cum rei publicae administratione conjuncta, haud novi ullum cui eum merito destinemus: sed da ei hanc veniam, ut Wyttenbachium sequatur.» — Hoc verbum juveni, supra quam cuiquam credibile, gratum erat. Nam Wyttenbachium semper cogitabat. Hunc quod non extemplo secutus erat, in eo patris apud ipsum valuerat auctori-

tas; cujus quidem in se amori hoc, utut grave, dandum esse judicavit. Quoad autem poterat et licebat, carissimi praeceptoris consiliis monitisque, quin hospitio Leidae utebatur, veluti aestivis feriis a. 1799, quum *vitam Ruhnkenianam*, nondum editam, partim solus alto mane, partim cum ipso scriptore legens et hunc, abrupta interdum lectione, suavissime de Ruhnkenio, de Valckenaerio, de sua juventute narrantem audiens, horas transigebat illas, quibus jucundiores se per totam vitam transigere non meminerat.[1]) Cujusmodi opportunitatibus nutrita admiratione viri, quo animo se ab eo abesse ferret, literae declarant eodem anno ad Vaillantium datae. «Wyttenbachium, doctorem tuum, quondam et meum, meo nomine saluta. Est sane quod tuae invideam felicitati, qui eum quotidie virum audias, cujus egomet et scholis et usu quam aegerrime careo. Est profecto ille antiquae virtutis vir, qui illud assecutus est, quod semper in rebus humanis difficillimum et fuit et habitum est, ut magnus licet cum ingenii subtilitate atque acumine, tum infinita, qua inter principes excellit, doctrinae copia, tamen animo non minus, ut ille ait, quam ingenio se hominem esse praeclare intelligat; atque ea sit morum suavitate, ut quemque, honestae laudis cupidum, ad suum alliciat usum et familiaritatem.» — Quid plura? Crassus Wyttenbachii sequendi auctor, intimam juvenis persuasionem expresserat. Huic autem tunc apparuit, quod sub vitae finem, cognatis et amicis de *se* scribere aggressus, gratus notavit, alium sibi, alium Petrarchae, patrem obtigisse. Arduum optimo

1) *Epist. ad Creuz.* p. 11.

viro erat filii ad munera civilia praeparandi consilium mittere. Eo aegrius ille spem eorum, quae jam dudum in votis erant, abjiciebat, quo magis haesitabat, quorsum tandem sola vel certe praecipua duceret Wyttenbachiana institutio. Sed in Crassi nihilo minus acquiescebat sententia.

Itaque Heusdius, omni Leidam migrandi cura sublata, feriis aestivis a. 1800 Athenaeum Amstelodamense reliquit', cujus a Crasso non minus quam a condiscipulis *decus et ornamentum* vocabatur. [1]) Abiit autem penitus sentiens, quot quantisque beneficiis devinctus amicis et praeceptoribus esset, quorum in utris Lennepius fuerit, [2]) Wyttenbachii successor, ea fuit viri clarissimi familiaritas, quam Heusdius ad veterum elegantiam percipiendam sibi magnopere prodesse paulo ante per literas amico affirmaret.

Amstelodamum Heusdius ignotus venerat, Leidam nec ignotus venit et eximio ornatus honore. Nam huc migraturo Academiae Curatores, annitente in primis Boschio, liberum praebuerunt aditum ad Ruhnkenianas ceterasque publicae bibliothecae copias, unde tum Ruhnkenii congereret suppleretque ad Scholiastam Platonicum animadversiones, tum promere ipse posset, si quid studiis in publicam notitiam perferendis inserviret. [3]) Leidae vita erat priori haud dissimilis; scholis interesse et Kesselii de Pandectis, Kluitii de Statistica, Siegenbeekii de literarum Neerlandicarum historia et praecipue Wytten-

---

1) Testibus et Crassi ad Heusdium literis d. 7. m. Oct. a. 1800 et sermone a Praeside sodalitii: *Literarum studia amicitiae vinculum*, d. 24. m. Nov. a. 1800 ad sodales habito.

2) *Epist. ad Creuz.* p. 12.

3) Sic res acta est in Curatorum consessu d. 5. m. Sept. a. 1800.

bachianis: domesticam studiorum diligentiam religiose servare: privatim adire Wyttenbachium: amicitiae deliciis frui, tam nova ineunda cum Lyndeno et Sluitero,[1]) quam veteri instauranda cum Vaillantio, carissimo sodali, qui, prius Amstelodamo profectus, exin cum fratre natu minore in Heusdio diligendo constantissimus fuit: ceterum multo saepius ambulare, equo item vehi, et suburbanis agris magis allicientibus et valetudine nonnumquam tenui alterutrum suadente. Cui ut praeterea minore consuleret virium intentione, frequentia erant sed irrita amicorum monita; quorum Crassus se hoc suadere, hoc precari scribebat, «ut moderaretur studendi impetum; se enim ejus valetudini timere eaque sollicitudine vexari, ne nimiae literarum colendarum contentioni succumberent aliquando corporis vires et sic omnis bonorum spes in fumum abiret.»

Hujus vitae intercapedinem unam fuisse scio memoratu dignam, quam attulit peregrinatio Parisina. In exteras regiones excurrere hodie ita est in more positum, ut ne juvenes quidem miremur peregrinatos, nec sane nisi qui dimidiam, ut ajunt, Europae partem inviserit, aliorum in se convertat oculos. Sed ante hos quadraginta annos paucioribus profecto patriae fines superare contingebat. Heusdium quis in primis Lutetiae adeundae cupidine incitarit, ignoro, quamquam Wyttenbachii hac in re partes vix minores fuisse opiner atque Ruhnkenii olim fuerant in eadem re Wyttenbachio suadenda. Utut est, anno hujus seculi primo Lutetiam ille profectus ibique duos fere menses moratus fuit, Strateno itineris

---

1) *Epist. ad Creuz. Initiorum phil. Plat.* edit. sec. p. 24.

comite, suavissimo peregrinatore, qui tunc jam multorum borealium hominum ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω. Doctum illud iter dici nequit, si quidem latitare in bibliothecis et impallescere chartis a consilio alienum erat; sed ad honestam oblectationem, ad hominum rerumque memorabilium cognitionem, ad sensum pulcri acuendum, ad recordationis suavitatem uberrimum fuit. Jucundae ejus literae sunt ex inclyta urbe ad familiares scriptae. Recens advena, multa videndo, videbat nihil. Adeo insolitis omnibus et exspectatione majoribus obstupuit. Wyttenbachii commendatione Villoisono, Sanctocrucio, Larchero acceptissimus veniebat, amici sui discipulum amplectentibus continuo et *suum* sponte vocantibus. 1) Per hos Chardoni Rochettio, Korayo aliisque doctis viris conciliatus et Marronis summa fruens erga populares suos benevolentia, ex multorum humanissimis sermonibus et blanda comitate insignes capiebat voluptatis utilitatisque fructus. Sic plurima comperit ad rerum memorabilium infinitâ copiâ cum ratione fruendum, et in bibliothecis quidem, faventibus earum praefectis, tot ferme horas utiliter degit, quot illic versari temporis siverunt angustiae. Omnium autem, quibus oculos animumve pascebat, haud scio an maximam ei admirationem moverint eximia antiquae artis monumenta, ex Italia tunc Lutetiam traducta, inque Museo servata. Haec intuenti quis sensus esset, ad statuarum maxime contemplationem ut altior sibi fieri videretur nec esse omnino, egrediens Museum, qui intrans fuerat, scribere se posse negabat. Quem ἐνθουσιασμὸν non est quod in ju-

---

1) *Epist. ad Creuz.* p. 37.

vene miremur φιλοκάλῳ, cujus non tantum ingenium venustissimis veterum scriptis excultum, sed oculus item ad videndi acumen exercitatus pictura lineari erat. In hac enim arte puer et adolescens plurimum operae posuerat eosque habebat progressus, quorum ubertatem cultissimus quisque per totam vitam experiatur; et, vel fallor equidem, vel ex hac experientia aptum et nexum erat Heusdii coram familiaribus effatum, sibi semper prae ceteris diebus exoptatos esse Mercurii et Saturni dies, quippe qui dulcissimi temporis, picturae addiscendae destinati, memoriam renovarent. Verum hinc intelligitur etiam, quo valuerit illa admiratio, peperisse eam nihil leve, cito evanescens, contra vim peperisse ad pulcri sensum magis magisque explicandum permagnam. Quod eo fidentius affirmo, quia dicta non unâ nituntur literarum fide in ipsis prope spectandi et audiendi deliciis exaratarum, sed iis conveniunt, quae Heusdius multis annis post narrare solebat. Nam saepe de itinere Parisino loquebatur: hoc pectori infixum erat: hujus instaurandi consilium abjecit numquam: amicorum, ab eodem recentium, salutatione quam delectabatur! ut continuo sciscitari de nullis non rebus et elicere jucundam narrationem, ut e filiis potissimum, quadriennio abhinc Lutetiae commoratis, diligentissime singula quaerere et audita cum iis conferre amabat, quae ipse olim spectaverat! Quo facto, «redeundum — ajebat saepe — mihi Lutetiam est, prorsus mutatam ab illa.» Attamen non rediit, tum aliis de causis tum hac, ut opinor, praecipua, quod, quoties postea peregrinari decreverat, toties naturae amoenitas et vis eximia ad liberam mentis agitationem promovendam vehementius ipsum, quam magnarum urbium splendor, allexit.

Tribus mensibus jucunde et utiliter transactis, Bononia aliisque Franciae septemtrionalis urbibus una lustratis, Hispaniam Stratenus, patriam petiit Heusdius, et, quam primum e gravi, in quem redux incidit, morbo convaluerat, Leidam studiorum causa reversus fuit. Ac de hisce quidem intelligo fore, qui accuratius quaerant, quibusque supra minime satisfecerim dicendo, privatim aditum fuisse Wyttenbachium; ac si interior illa disciplina, cujus percipiendae gratia loci obtinuerat commutatio, nihil porro attulisset cognitu dignum. Et aliter statuo et in his paulum immorari juvat. Sunt enim tum doctoris, tum discipuli testimonia id, quod volumus, apprime declarantia.

Itaque Leidense tempus illud erat, quo paulatim mens ejus omnis ad unam convertebatur antiquitatem. In hac defixus, recentiores vero praeter eos, in quibus veteris aevi ratio spirat, multo minus quam antea curans, hanc ipsam magis magisque imbibere gestiebat. 1) Antiquos autem scriptores omnes ita deinceps pervestigabat, ut in nemine diligentior quam in Platone esset, ad hunc omnia referret, hujus omnino in dicendi disputandique consuetudinem et omnem opinionum sublimitatem se tota mente et cogitatione insinuaret. 2) Et quonam sensu, quo habitu, vultu philosophi scripta terebat? Hoc Wyttenbachius sic depinxit, illum ut Platoni operam dantem tibi videre videare. Nam «ipsius — inquit — nobis Heusdii imago obversatur, Platonem legentis, oculos modo ad investigationem intendentis, modo

---

1) *Socrat. School* I, 14.

2) Wytt. in *Epist. ad Heusd.* p. XXIX. coll. omnino loco *Scholae Socrat.* laud. p. 15.

ad inventionis voluptatem remittentis, modo perceptae pulcritudinis sensu ad hilaritatem diffundentis: subinde quaedam scripto annotantis, mox ad Platonem se recipientis, eique ad propositum finem inhaerentis: denique cum grata veneratione eum de manibus ponentis et quasi salutantis, — *Διὸς τέκος, οὔποτε σεῖο Λήσομαι ἀρχόμενος, οὐδ' ἀποπαυόμενος.* [1])— Id tamquam vaticinantem quum animo proponeret discipulum, erat quod suae item meminisset institutionis continuaeque erga illum benevolentiae. Nam absens absentem per epistolas hortari, juvare, perhonorifice adeo incitare non desierat, veluti his paulo ante Leidense Heusdii tempus ad eum datis literis: «est tibi excellens ingenium, aetas florens, quae *εἰς πάντα τὰ καλὰ ἔχει ἐπίδοσιν·* haec tanta bona *οὐ θέμις ἐᾷν ἀπόλλυσθαι ἐν ἐπιτηδεύμασιν ἀθλίοις καὶ τῆς σῆς φύσεως ἀναξίοις.*» Heusdio autem Leidam delato, frequentes de Platone sermones, Amstelodami incepti, continuo instaurati fuerunt, ad eam tamen compositi familiaritatem, quam veterani sodalis progressus sponte afferunt. Quin, omnia utriusque dicta conferenti, vix eodem, quo antea, animo vel Heusdius Wyttenbachium adire vel Wyttenbachius Heusdium excipere potuisse videatur. Ille enim, «antea — ait — ut fert juvenilis aetas, praeceptorem admiratus fueram, sed hac item fueram admiratione contentus. Verum ex quo Leidam discessi, magis sive animadvertere sive suspicari coepi, quae tandem esset Wyttenbachii praestantia.» [2]) Hic vero jam minus locorum, juveni difficilium, inter-

---

1) *Bibl. Crit.* III, 3. 65.
2) *Epist. ad Creuz.* p. 12.

pretem egit — quae vesperis Amstelodamensibus primaria fuerat conveniendi causa [1]) — sed minus jam illorum interpretem sese, quam judicem praebuit interpretationum et emendationum ab ipso discipulo excogitatarum, et vero talem eum agnovit, quocum sentiendi et admirandi et incalescendi communio esset. «Tu—inquit in suavissima ad Heusdium Epistola— veram Platonis scripturam multis in locis, quamvis obliteratam, perspiciebas, plurimaque corrigebas librariorum menda. Quae inventa ad me deferens, materiam afferebas, de qua jucunde colloqueremur, non solum *συμφιλολογοῦντες*, sed etiam *συμπαθοῦντες* et *συνενθουσιῶντες*, quum dictionum, sententiarum, imaginum suavitate, veritate, sublimitate in admirationem Platonis abriperemur.» [2]) His autem colloquiis non solus locus erat magistri bibliotheca. Ambo ruris amatores excurrebant interdum per agros et aut in collibus considentes, unde prospectus in coeruleum aequor, aut recubantes in pratis et amnium ripis unam cogitabant Platonis philosophiam. Quodsi tunc Heusdius non Ilissum nec platanum illam desideraret, quo minus esse sibi videretur Phaedrus aliquis, qui Socratem suum de gravissimis argumentis loqui audiret: [3]) tenendum est, ipsum Wyttenbachium hanc ei opinionem sive attulisse sive confirmasse, obviam eunti saepius dicentem, *ὦ φίλε Φαῖδρε, ποῖ δὴ καὶ πόθεν;* Et omnino ea erat consuetudo, ut ille quid speraret vel potius confideret, huic non difficile ad augurandum esset. Frequens ejus

1) Vid. locus ex *Epist. ad Creuz.* p. 21 allatus.
2) P. XXIX.
3) *Epist. ad Creuz.* p. 25.

monitum *αἰὲν ἀριστεύειν*, nulla umquam diserta reprehensio, studium tamen efficax discipuli eo adducendi, ut semet ipsum cognosceret, et, quid sibi deesset, quid peccasset, videret. Hinc potissimum Heusdius illum appellare Socratem suum vel etiam cum Minerva conferre amabat, nubem Diomedi eripiente, *ἣ πρὶν ἐπῆεν.* Sed huc redeundum infra.

In hac quotidiana fere Wyttenbachii consulendi opportunitate Heusdius omnium sibi videbatur felicissimus, aureum omnino hoc Leidense tempus censebat. Unum alterumque annum praesentibus bonis fruebatur negligens futuri, sed identidem illud animo obversari coepit et injicere cogitationem, quem aliquando locum in civitate occupaturus, quoque vitae genere civibus suis profuturus esset. Crassus tam causarum patrocinio quam amplissimis in re publica honoribus diserte eum aptum negaverat. [1]) Et quod literas attinebat, Wyttenbachii ipse judicabat se similem fore numquam. Hic auctor erat, ut accingeret sese ad Platonem aliquando edendum, quemadmodum ipse Plutarchum edebat; verum huic provinciae suscipiendae Heusdius se prorsus imparem existimabat. Talia autem ut saepius mente volveret haud scio an sollicita patris cura fecerit, honestam vitae stationem carissimo filio exoptantis. Inde repetendum fortasse, eum, decursis prope spatiis Academicis, serio nec sine spe obtinendi cogitasse de muneris petitione, quod ad rei pecuniariae administrationem referebatur. Sed interea, quae hoc consilium everterent, alibi parabantur, auctore primum illo, qui, quid

1) Vid. p. 26.

veteri discipulo suadendum non minus quam quid dissuadendum esset, egregie perspexit.

Scilicet eo tempore in Academia Rheno-Trajectina veterum literarum et historiae studia languebant. Saxius et Segaarius, antea laudabiles earum doctores, nonagesimo et octogesimo aetatis anno discipulis amplius satisfacere non poterant. Horum commodis tandem consulendum videbatur. Cujus rei Crassus ab amico Trajectino certior factus rogatusque ecquem Trajectinis in suam Academiam vocandum esse censeret, statim Heusdium et nominavit et tam per amicum quam suis ipse literis majorem in modum commendavit. Idem, re accepta, Boschius fecit, quamquam haud ignarus in Leidensis Academiae Curatoribus, collegis suis, esse, qui Heusdium Leidae in statione quadam collocatum vellent, at viginti quinque annorum juveni optabiliorem judicans Trajectinam cathedram quam Wyttenbachii et Luzacii praesentiam, qui suo eum doctrinae lumine obscurarent. Mox utriusque commendationi pondus accessit et Wyttenbachii auctoritate et vero progressuum specimine ab Heusdio ipso anni 1803 aestate edito, ut Curatorum, quam supra memoravi, munificentiae se memorem probaret.

Nam in Ruhnkeniana quidem annotatione congerenda Heusdius non desudaverat, Wyttenbachio fortasse obsecutus, quem ei, hunc laborem aggresso, in aurem dixisse novi, «non cum pulvisculo, rerum tuarum satagis.» Sed vel sic tamen honorificam illam et his et ceteris bibliothecae copiis utendi veniam sibi perutilem fuisse, beneficii auctores latere nolebat. Quamobrem exploratis, quae lectitanti in mentem venerant, emendationibus et conjecturis, animadversionum suarum partem,

e Ruhnkenii schedis hic illic locupletatam, edere constituit, collationemque et Ruhnkenianam Sophistae atque partis Protagorae cum Codice Parisiensi et suam Minois atque librorum de Legibus cum Codice bibliothecae Leidensis Vossiano adjicere decrevit. Sic exstitit *Criticum in Platonem Specimen*, diversa persequens ex iis maxime dialogis loca, qui editionis Stephanianae parte priore exstant, et haec vel alia colloquentium distinctione, vel mutatione aliqua, vel aliorum scriptorum usu, vel dictionum atque constructionum Platonicarum observatione tentans, illustrans, vindicans. [1]) His autem praemissa est praefatio, cujus me minus elegantia tenet quam momentum ad scriptoris illo tempore cognitionem; tum vero opusculum comitatur Wyttenbachii ad Heusdium Epistola, qua hic nil sibi in vita gratius jucundiusque accidisse fatebatur. [2]) Placuerunt eae studiorum primitiae intelligentibus harum rerum et popularibus, parcis tunc Platonis cultoribus, et exteris; quorum Germani tam philosophiae apud ipsos conditione quam Heindorfii, Schleiermacheri, Astii in primis exemplo incitati diligentius Platonem terere coeperant. [3]) Et profecto quod Frid. Jacobsius tulit judicium, «magnam in eo libello vim esse exquisitioris doctrinae, multum acuminis, insignem felicium emendationum copiam, ut incertus haereret, quid magis admira-

---

1) Praef. ad *Spec. Crit.* p. XIII. Conf. Wytt. *Bibl. Crit.* III, 3. 67. sqq.

2) *Epist. ad Creuz.* p. 25.

3) Cff. v. gr. de *Spec. Crit.* judicia Wyttenbachii in *Bibl. Crit.* l. l. Heynii in *Götting. Gel. Anz.* a. 1804. p. 227, et Buttmanni in *auctario animadversionum in Plat. Gorgiam et Theaetetum*, quod exstat vol. II. ed. Heindorfianae.

retur, ingeniine Heusdiani solertiam et judicii eleganti-am, an variam accuratamque doctrinam », ab hac igitur opinione multorum vidi nec miror parum discrepasse sententiam. Boeckhio autem, qui eo tempore se ad Platonem tractandum accinxerat, libellum inter prima subsidia fuisse accepi, quibus ipse in crisi exercenda uteretur.

Edito *Specimine*, Heusdius Trajecti in plurium ore erat. Ipse autem ut audierat, quaenam vitae statio sibi pararetur, nequaquam laetus honorifici consilii eventum prospiciebat. Mox (die 14 m. Septembris) 21 thesibus eruditorum examini submissis, Leidae utriusque Juris doctor creatus fuerat et jam vitam sibi eam optabat, quae frequentes discendi opportunitates afferret. Saepius ei cogitatio arriserat cubiculorum in ea Hagae Comitis parte conducendorum, ubi in clientium solitudine Musis viveret et cultissimorum frueretur amicitia. Verum patri, ut antea saepe gratum fecerat, ita tunc, vocationem Trajectinam unice optanti, non repugnare decrevit. Quoties tamen aliorum item a Trajectinis ratio haberi vel aerarii urbani cura nonnihil morae allatura ferebatur, aequo animo hujusmodi nuntios accipiebat, brevi vanos repertos. Nam nummis, ut par erat, Academiae saluti postpositis, ambo venerandi senes rude donati sunt, et Heusdius die 17 m. Octobris, salario mille et ducentorum florenorum proposito, creatus est *Historiarum, Antiquitatum, Eloquentiae et Linguae Graecae Professor Ordinarius.* Munus, si per se spectatur, neque ad id exigitur, quod saepe in patria nostra obtinet, late patens, ac, de Wyttenbachii quidem sententia, Heusdio partim eximie, una vero in parte minus aptum. Historiam enim ille verebatur ut hic recte traderet, qui suam tantum veterum litera-

rum disciplinam percepisset, in historicas autem scholas non venisset. Hujus sententiae quantum futurum fuisset momentum, si discipulus in vocationis causa genio indulgere constituisset, sponte intelligitur. Sed tum dubium ejus animum tam pietas erexit quam literae confirmarunt et aliorum et vero ab Heringa datae, excellentis ingenii Theologo, quas ipsas quod numquam ille oblitus fuerit, iis maxime tribuam, quae de muneris amplitudine et ubertate scribebantur, «hoc spectare animum non minus quam ingenium juventutis, posseque proinde eo rite fungentem disciplinarum, patriae, imo vero religionis causae eximie prodesse.» Ceterum, in multiplici honoris gratulatione jucunda in primis accidebat Curatorum Leidensium benevolentia, splendido eum ornantium Montfauconii de Antiquitatibus opere, hac insignito inscriptione:— *Curatores Academiae Lugduno-Batavae Philippo Guilielmo Van Heusde, quem ad Graecarum Literarum studium persequendum Leidam venire*, [1]) *et publicae Bibliothecae cum editis tum scriptis libris uti invitaverant: qua re intra triennium tam praeclare gesta, ut non modo Specimen Criticum in Platonem Curatoribus dedicaverit, verum etiam dignus habitus sit, qui Graecas Literas in Academia Ultrajectina publice doceret,*

---

1) His verbis minime infirmantur ea, quae supra tradidi. Consilium Leidam migrandi Curatorum invitatione prius fuit. Si vel numquam invitassent illi, Heusdius certissime studiorum gratia Leidam venisset, quemadmodum ex ipsius Heusdii narravi schedis laud., et jam anno 1803 facile ad suspicandum fuit ob haec in Praef. *Spec. Crit.* verba p. XIII. *Leidam migraturum Academiae Curatores — hoc me ornare beneficio volebant, ut —*

hoc eo proficiscenti et munus illud suscipienti qualecumque benevolentiae suae monumentum lubenter meritoque dederunt. Die XXV. Nov. MDCCCIII. —

Haec prima fuit Heusdianae vitae pars. Plura petentes ne aegre ferant, sibi non continuo satisfieri, verum initiis, a quibus Heusdius profectus fuit, adumbratis, me progredi sinant, quo et temporis ordo et animus vocat.

Gravissimum profecto unicuique est vitae tempus, quo, peractis studiis Academicis, suum in civitate locum obtinet et velut in medias res conjicitur. Multa quotidie incidunt, quorum nullam praeceptorum disciplina notitiam impertivit, in quibus ex te ipse, ex ingenio usu atque exercitatione nondum subacto, pendes, et vel doctissimus plurimum falli potest. Qui autem eo ipso tempore ad juventutem, praesertim Academicam, docendam vocatur, a schola Professorum ad cathedram traducitur, huic demum maximae et paene innumerabiles imminent difficultates, quae, si non ita premant quin, summum in discipulorum compendium, superentur, secunda loquimur rerum momenta aut egregias ingenii animique virtutes suspicamur. Et de Heusdio, publico Doctore, quid existimandum sit, gaudebo, si non dubium reliquisse censear.

Trajectum ille venit, comitante patre, gratus bonis omnibus, qui in Saxio — nam Segaarius paulo ante diem obierat — scholas continuandi voluntatem potius quam facultatem celebrabant. Multos vel praefatione *Speciminis Critici* in magnam sui exspectationem adduxerat; quorum non possum non Paulum Bonnetum memorare, Trajectini Theologi fratrem, Codicis Sacri

Interpretem Roterodamensem, qui senex octogenario major, audita brevi ante obitum insigniore illius praefationis parte, non tantum summam se ex ea voluptatem cepisse et scriptoris, aetate florentis, consilio operae porro Platoni navandae se plurimum delectari declaravit, sed filium etiam suo nomine Heusdium rogare jussit, ut diligenter in Platonis quoque inquireret de rebus divinis opiniones, has cum aliorum philosophorum placitis conferret et earum potissimum fontem indagaret, quae Platonis maxime propriae censerentur. 1)— Bonis igitur omnibus Heusdius die 26. m. Januarii a. 1804 munus auspicatus est oratione *de Antiqua Eloquentia cum Recentiore comparata*, haud negligenda iis, qui Heusdium penitus cognoscere velint. Mox scholas aperuit literarias. Neque his neque illa motam non sustinuit exspectationem. Id primi testantur discipuli, jucundi sane nobis, multo serioribus alumnis, de illa magistri disciplina narratores. Scholis ejus, ut Goudoeverius affirmat, temporis illius aequalis praestantissimus, magnus continuo intererat auditorum numerus. Aetati decrepitae assuetis placebat juvenilis aetas, ad sodalis provectioris familiaritatem quam ad gravitatem magistri proclivior. Laudabatur modestia, affabilitas, institutionis, cum perspicuitate conjuncta, novitas. Provectiorum, inque aliis disciplinis egregios audientium magistros, haec erat sententia «ingenium quoddam philosophum in novo praeceptore inesse, quo plus aliis videret, cujus ardore alios incenderet, cujus acumine auditores concuteret, cujus elegantia omnes alliceret, omnibusque placeret.» 2)

---

1) *De laatste Evangelieraad van P. Bonnet.* Utr. 1804 p. 70.
2) Goudoev. l. l. p. 17.

Hac discipulorum gratia florenti munus quidem in dies suavius, neutiquam vero facilius videbatur. Praeterea, aestivis feriis primi anni exactis, Heusdius scholas inchoavit historicas, dehinc ei cum Graecarum literarum disciplina ad obitum perpetuas. His, proximo anno, scholae accesserunt de literis Latinis et antiquitate Romana, et, Saxio vere a. 1806 defuncto, novem amplius annos partibus duorum functus est Professorum, ita ut, praeter commemoratas scholas, vel praecepta traderet rhetorica et stili exercitationes moderaretur, vel antiquitatem Graecam, historiam Latinae poëseos, mythologiamve Graecam explicaret, artium autem, literarum et philosophiae historiam conjuncte interdum cum historia gentium exponeret, denique suas quaque hebdomade horas daret sive veteri cuidam scriptori extra ordinem interpretando sive scholis iterandis, quaeque tradita fuerant, aliorum quoque in auditorum gratiam uberius illustrandis. Haec ille ad Academiae Trajectinae, a Napoleonte afflictae, instaurationem et amplificationem exeunte anno 1815, quum literae antiquae, Heusdio admodum gaudente, novum nactae sunt doctorem. Tum scholae ejus ordinariae numero fiebant pauciores, antiquitatem literasque Graecas et gentium historiam complectentes, Goudoeverio, discipulo carissimo, a Zwollani Gymnasii moderamine in alteram cathedram vocato, literas Latinas et antiquitatem Romanam quotannis docendum suscipiente. Sed extraordinariarum scholarum nec numerus minuebatur et argumentum saepe gravius magisque e privae investigationis amplitudine ductum erat. Huc enim pertinebant non solum historia poëseos Graecae, philosophiae universae, literarum et artium antiquarum, politica et li-

teraria historia gentium recentiorum, verum etiam historia humanitatis, introitus in scripta et philosophiam Platonis, encyclopaedia universa e principiis ducta philosophiae Platonicae et philosophia linguarum. Quem numerum augeri posse sejuncta commemoratione eorum, quae, ex amplioribus argumentis lecta, separatim nonnumquam interiusque explicabantur, historiae v. c. literariae ad Graecos tantum relatae, historiae quae philosophiae est Socraticae, Platonicae et Aristoteleae vel recentioris, in primis moralis, inspectis Academiae annalibus unicuique patebit. Verum hoc non dubito quin multi parum curent, sibique ipsius institutionis rationem atque momentum quam scholarum nomina enarrari malint. Recte quidem illi, eaque voluntate, cui obsequi licet perdifficile sit, quid tamen dulcius discipulo esse potest, qui hujus praeceptoris amore cedit nemini?

Mihi igitur eam, qua ipse ab anno hujus seculi vicesimo per sexennium fere usus sum, disciplinam cum priorum et posterorum sodalium testimoniis conferenti, variorumque praeterea annorum scholas legenti, videtur haec institutio sensim tum explicuisse sese tum ad illam, quae Heusdio mature obversabatur, praestantiam enisa atque progressa, numquam vero indole sua mutata fuisse. Principia certe quaedam constanter servata videas, eorumque, quae deinde primas agere solebant, initia, priore tempore, investigantem non latent. Sic *novus* Professor, Goudoeverio teste, veteres scriptores ita interpretabatur, ut discipuli non tantum ad linguae cognitionem proficerent, verum etiam in ipsius antiquitatis et scriptorum rationem se insinua-

rent. [1]) — Hanc interpretandi viam, quam eum instituturum esse vel e *Speciminis Critici* praefatione conjicere aequales potuerunt, sed hanc reapse instituens, certior quidem sodalibus dux evasit, quo magis ipse circumspectans et ab aliis discens progrediebatur, verum de ipsa via minime declinavit. Grammaticae interpretationi in docendo nec parum neque vero omnia, sed tantum prope tribuebat, quantum exspectasses ab eo, qui juvenis scripserat: «si grammaticam legendi rationem captandis notandisque et verbis et phrasibus definiamus, ut eam exercentes, rebus omissis, voculas venemur, liberaliter agamus, si tantam tamque abjectam humilitatem summo cum contemtu despiciamus. Atqui tantum abest, ut aliquam cum humilitate conjunctionem habeat haec legendi ratio, ut eam spernentes justum capere lectionis fructum nequeamus.» [2]) — et florens aetate in introitu scholarum de *Actis Apostolorum* dixerat: «nos primo linguam attendemus, deinde antiquitatem, id est, res omnes, quae ad probe intelligendum contextum referuntur. Omni quidem tempore fuerunt, qui nullam habentes linguae curam, unam et amplecterentur et tractarent dogmaticam rationem, sed haec nisi grammatico interpretandi genere tamquam fundamento suo nitatur, vana est et irrita. Ac dici vix potest, quot quamque falsas locorum interpretationes hic hominum error pepererit.» [3]) — et

---

1) Goudoev. l. l. p. 17.

2) In praef. *Spec. Crit.* p. X.

3) Haec *excerpsi* e prolegomenis illis, loco quippe longiore quam qui totus referretur. Heusdius autem pro illius temporis in patria nostra more literas Graecas ita tradidit, ut non minus loca N. T. quam scriptorem classicum interpretaretur. Hunc autem morem, Lucae maxime scriptis

senescens, in hac perseverans sententia, «haud — inquit— critica ac grammatica neglectis, recte quis possit in historia sive gentium sive philosophiae sive eloquentiae procedere.» 1) Ad hanc, probe memini, nostras exigebat Graecorum scriptorum versiones, si quid deesset, aut aliunde ductum, non nostro ipsorum judicio superstructum videretur, grammaticis continuo quaestionibus nos juvans, monens item vel ad saniora hortans. Quaecumque tamen prioris disciplinae esse judicabat, ubi neglecta esse intelligeret, notabat saepius et auditorum studiis magis commendabat, quam ipse diserte explicabat. De his ego saltem minus eum agere memini, quam admirabilem v. c. persequi praepositionum vim, dialectorum naturam cumque orbe Ionico et Dorico conjunctionem urgere, et vero pulcerrimae linguae e simplicissimis initiis ostendere progressionem, vim in primis adumbrare philosopham. Omnino ad linguae cognitionem, Grammatica nitentem, ut proficeretur multum operae dabat, plus dare potuerat. Quod qui faciunt, nequaquam nobis improbandi sunt; probandi contra vehementissime omneque punctum ferre dicendi, si propterea nihil eorum, quae insuper antiquitatis disci-

---

explicandis, secutus est ad a. 1821, dehinc unos classicos scriptores scholis destinavit. Et ita serius ocius in aliis quoque patriae Academiis obtinuit; partim, ut opinor, recte: nam ab Hebraeae linguae parum peritis hanc provinciam non administrari praestat: partim vero improbandum, quod dein futuri Theologiae studiosi opportunitate caruerunt N. T. lectionis *mature* inchoandae. Esset, quod gauderent illi, si vel Literarum Orientalium Professor, vel Theologiae Professores, Hebraice quidem docti, has scholas instaurarent.

1) *Characterismi Princ. Philos. Vet.* p. 162. Cff. *Brieven over het beoefenen der wijsgeerte.* p. 34. In iis, quae Heusdius in *Epist. ad Creuz.* p. 9 se Wyttenbachium de regulis grammaticae disserentem audivisse narrat, multa sunt ab ipsius judicio haud aliena.

plina sunt spectanda, rarius tenuiusve cum discipulis communicare solent. Sed cognitionem illam, veterum scriptorum interpretatione, nec Goudoeverii, nec mea, nec ullius discipulorum aetate unice spectavit. « Duplex — ajebat saepe, quin dictabat auditoribus — mearum est de literis Graecis scholarum propositum, alterum ut sermonis Graeci vis et ratio teneatur, alterum vero, ut scriptores, quos tractabimus et ipsi cognoscantur et intelligantur eorum scripta. » Semper propriae antiquitatis rationi patefaciendae plurimum tribuit. In veteris aevi opiniones, in mentem scriptorum auditores traducere assidue conabatur; hinc, missis seriorum temporum sentiendi cogitandique norma, moribus, institutis, plurima expediri, quae mira vulgo et absurda haberentur, frequens erat monitum, exemplis continuo e re praesenti adumbratum ac probatum. Ita autem Heusdium constanter praeivisse discipulis, ipsi nobis testes sunt diversorum annorum alumni, ac pariter probant, quae Ampl. De Geer et Clar. Den Tex de Platone, atque ea quae de Homero, Hesiodo et Tragicis Graecis Doctt. Bax, Ekker et van Teutem in suarum quisque Dissertationum praefationibus scripserunt, id est testimonia confirmant, quorum primum a postremo tredecim annis distat. Et quo certius auditores ad justam, quam vocabat, scriptoris intelligentiam duceret, ultima vitae parte noluit de eo inter explicandum tantummodo, alias aliud, opportunitate data, monere, sed cum interpretatione perpetuam conjungere coepit de ipso scriptore disputationem. Hinc Quaestiones Platonicae, Demostheneae, poëticae ac tragicae, Plutarcheae, pro diverso, quem interpretandum sumserat, scriptore, peculiari hora traditae. Eodemque consilio istiusmodi nonnum-

quam eligebat scriptorem, ad quem intelligendum historicae simul scholae prodessent, Herodotum v. c. si res Orientis, eumdem porro aut Demosthenem aut Plutarchi vitam illustrissimi cujusdam Graeci ac Romani, si Graecorum et Romanorum historiam potissimum enarraturus esset. Quamquam haud scio an duplex hic agnoscendum sit momentum; historiae utpote studiosis sic, ipso magistro duce, e fontibus haurire discentibus. Qua autem ipse praeibat in antiquis explicandis ratione, eamdem ut nos sequeremur in recentioribus legendis, in aetatem singulorum et mentem et conditionem nos, quoad ejus fieri posset, diligentissime transferremus, literariam exponens gentium recentiorum historiam suadebat perpetuo, et multis exemplorum gravitate, negligentiae errores testantium, plane persuasit. Quae de Machiavello disseruerat, Numanno profuerunt ad egregiam in opusculum *del Principe* Diatriben conscribendam. [1])

Qui sic de omnis aevi monumentis praecipiebat taleque discipulis proponebat veterum legendorum exemplum, non poterat non in ceteris scholis eniti, ne quid a singulorum aevo alieni diversarum aetatum hominibus populisve obtruderetur. Huc quanto studio tenderet Heusdius, patebat, quum sive Graecorum mythologiam explicans fabulas non obscurabat reconditae in iis doctrinae suspicione, verum inculti Graecorum aevi simplicitate illustrabat; sive antiquae tradens philosophiae historiam, e seriore philosophiae ratione nil veteribus assuendum esse docebat, sive artium historiam enarrans, sedulo

1) Vid. Numanni *ad Heusdium Epist.* Diatribae praemissa.

temporum discrimina notabat et hîc item in suae quidque aetatis luce ponere conabatur. Non dico eum in his omnibus semper verum vidisse. Nil foret ridiculum magis aut ab ipsius judicio ac voluntate alienius. Sed quid assidue spectaverit, quo mentem auditorum converterit, ostendo. Illuc autem tendendi eoque hos ducendi opportunitas nusquam amplior erat quam in latissimo historiae universae campo.

Haec erat institutionis pars, quam, de Wyttenbachii sententia, Heusdio Trajectini mandare non debuerant, quamque idcirco tantopere sive progressam sive commutatam esse suspicere, ut posterioribus annis nullae ferme prolatae fuerint prioris temporis opiniones, vel saltem eorum, quae aliquando praestantissima judicabantur, antea vix levissima apparuerint initia. Hîc facile est verum non omnino assequi. Haud quidquam detractum volo de seriorum scholarum celebritate; sed priores ne despiciantur, habitae utpote ab eo, qui, licet juvenis plurimum in literis et philosophia versatus fuisset, horumque maxime gratia historiae operam dedisset, istis tamen finibus non contineri hanc disciplinam censebat, ipsamque tunc jam si minus traderet, at cogitabat, et optabat *generis humani historiam* cum *historia humanitatis* conjunctam. [1]) Legi primorum annorum animadversiones manu scriptas, [2]) libensque Goudoeverio assentior, qui his interfuit scholis, a primo Heus-

---

1) *School van Polyb.* p. 12. sqq. et p. 256.

2) Has humanissime meus mecum communicavit collega J. W. De Crane, cui seni venerabili publice gratias agere eo sane jucundius est, quo constantius ille mihi meisque studiis favet.

dium jam suum fuisse affirmanti. [1]) Rejecta, quam Saxius constanter secutus fuerat, Tursellini *Epitome Historiarum* et misso plurimorum more dictata historica ad compendii cujusdam ordinem accommodandi, ipse, quum in nullo, Latine quidem scripto, prorsus acquiesceret, statim proprium et ordinem et historiae tradendae modum instituit, eoque omnem compendii usum retulit, ut, quaecumque in Offerhausiano bene ac perspicue exposita judicabat, haec brevissime indicata, ibi legenda commendaret. Incipiens non ab Adamo, sed a vetustissimis Orientis gentibus, suum singulis, nec principem Hebraeis, locum propriamque historiam dabat, [2]) et in ipsam, qua de agebat, aetatem transferre auditores conabatur. Haurire e fontibus, rivulos non negligere, solebat, judicii tamèn severitatem uti hîc intendens, ita illic haud remittens. Cujus rei exemplum est prooemium historiae Romanae anno 1805 cum discipulis communicatum, ubi Livii aliorumque scriptorum fides in primordiis hujus populi describendis dubia, eaque ipsa prorsus incerta dicuntur, quum porro de celebratis veteris aevi heroibus dubitantius quam de Scipionum v. c. et aequalium facinoribus agitur. Rerum gestarum commemoratio diligens erat, non minuta, non jejuna, in primis, non unice, spectabatur; artium quoque et literarum, regiminis formarum, morum, institutorum mentio fiebat, mercaturae vis, exordium disquisitionis de Phoenicibus, opportune ostendebatur. Historia medii aevi non Romanae appendix prodibat, neque ob barbariem populorum leviter attingebatur, sed

1) l. l. p. 19.
2) Cf. ad h. l. omnino *School van Polyb.* p. IX.

ob conjunctionem cum recentiore aetate summi censebatur momenti. Neque hîc neque in ceteris historiae partibus causarum investigatio deerat, quas si saepe altius repetendas fuisse contenderes, de inquirendi studio, quo ipsa hujus disciplinae notio ducit, de studio rerum rite vinciendarum, ut mutua omnium vis patefieret, minime dubitares. Scholarum Academicarum esse dicebatur non adeo continere historiam suis partibus expletam, quam historiae plene perspiciendae rationem, disciplinae nulli quidem alii subjectae, verum suis se finibus tuentis, sua se gravitate commendantis, ideoque potissimum juvenibus colendae, ut «ad rerum humanarum perspicientiam, ad ipsum cognoscendum hominem, id est, ad veram philosophiam viam sibi munirent.»

Hujusmodi fuisse initia, priores illae testantur animadversiones MSStae. Fueritne eo tempore in ceteris patriae Academiis eadem harum scholarum ratio idemque consilium; fueritne omnino illic *Gentium*, quae vere dicatur, historia tradita, post Goudoeverii et Royaardsii disputationem quaerere nil attinet. [1]) Sed Heusdius minus de novitate institutionis suae cogitabat, quam interius penetrari in historiam posse suspicabatur. [2]) Quae suspicio quanam studiorum via firmata sit, ipse nobis diserte enarravit. Primum ei insigniter profuit Polybius, quem veterum historicorum plurimi semper fecerat, maxime delectatus historiae tractandae ratione, quam

---

1) Vid. illius *Sermo* laud. p. 19. hujus libellus: *Van Heusde als Geschiedkundige en als Paedagoog tot de Godgeleerdheid geschetst.* p. 12.

2) *School van Polyb.* p. 13.

in eo admirabatur. In hoc scriptore identidem occupatus et studiosissime quidem, opportunitate Goudoeverianae de eodem Disputationis, ex ea legendi meditandique diligentia atque frequentibus cum discipulo sermonibus adeo profecit, ut hanc primam sibi ansam exstitisse censeret ad pleniorem progrediundi historiae notionem. Quo simul Platonis ducebat et Socraticae philosophiae studium. Nam Plato ei in *Civitate* sua hominem cognoscendum praebuerat in primisque rationem animadvertendam dederat hominis ita instituendi, ut muneri suo, diversa in vitae conditione, satisfaciat. Polybius eadem in gentibus animadvertenda dabat. Plato eum docuerat, civitates non machinarum instar moveri, non saxo lignove, verum hominibus, constare, esseque proinde horum instar dijudicandas. Polybius perpetuo de civitatum incrementis, vigore, interitu ita loquens, ut in his ea similiter atque in homine fieri ostendat, facile ab eo intelligebatur. Plato ejus mentem converterat ad regiminis formas, ipsarum naturam, aliarum in alias mutationes et vicissitudines. Polybius haec ipsa in ampliore historiae theatro spectanda exhibebat. Platonis denique *Politiâ* praeparatus, Polybianam penitus assequebatur inque usus suos adhibebat historiae universae cum σώματι ἐμψύχῳ comparationem. [1]) Horum autem omnium perspicientia non potuit non vim habere in historicis Heusdii scholis.

Sed hîc ille haud subsistebat et nactus est, a quo utilissima porro indicia acciperet, Montesquivium, jam antea lectione cognitum. Hujus ab opusculis ad opus praecipuum de *natura legum* progressus, crebris

1) *School van Polyb.* p. 14, 17 sqq.

illud sermonibus usurpabat coram amicissimo De Rhoer, jurisprudentiae in Academia Trajectina Professore. Hic erat vir ἱστορικώτατος, qui antea Harderovicenam historiae cathedram non modo tenuerat, sed philosopha etiam, id est, nova illo tempore, historiam docendi ratione eximie ornaverat, [1]) quique dein ad jurisprudentiam tradendam delatus, pristinas delicias numquam non coluit, historiae ubertatem sermonibus, scholis, exemplo magnopere commendavit, deque ea cum praestantissimis discipulis tum maxime egit, quum historicae Saxii, aetate confecti, scholae neglectae jacebant. Cujusnam consuetudinem Heusdius, amplissimum historiae universae campum ingressus, pluris facere poterat? Utebatur ea ab initio fere temporis Trajectini. Quo magis illam judicandi solertiam cum pari rerum gestarum cognitione conjunctam, philosophas illas opiniones de gentium rebus non separatim spectandis sed apte nectendis exque sua singulis aetate explicandis, mentem illam multiplici et lectione et meditatione subactam recentioribusque historiologiae progressibus intentam admirabatur, eo crebrius Rhoerii sui sermones atque consilia dubius ipse expetebat. Quibus quidem consiliis, uti etiam amici exemplo atque animadversionibus, quantum acceptum referret, gratissimus saepe praedicavit. Quod autem Montesquivii frequens erat mentio, Rhoerio vix notior alius efficaciorque ad ipsius studia provehenda scriptor fuit. [2]) Eo disserente, Heusdius magis magisque Montesquivianam attendebat historiae divisionem in Orientis, Grae-

---

1) Vid. Heusdii de Rhoerio libellus infra laudandus p. 28. sqq.
2) Ib. p. 20 sqq.

ciae, Romae, seriorum civitatum regnorumque historiam; et hac divisione, quamquam a scriptore longe alio relata, ipse tamen in generis humani cultusque incidebat ex Oriente in Graeciam et Italiam, atque hinc in Europam nostram occidentalem et septemtrionalem progressionem. Quam progressionem eo certius persequi potuit, quo diligentius dehinc, eadem adjutus populorum divisione, temporis etiam successionem animadvertere coepit, *primum* nempe Oriente, *tum* Graecia et Roma, *tandem demum* nostro, sive Germanorum, orbe ad cultum vigoremque progresso. Sed, quod longe maximum judicabat, Montesquivio praeeunte, evidentius perspicere discrimen didicit inter naturam et principium regiminis formarum. Nam, licet de principio, singulis illis populorum orbibus proprio, brevi a Montesquivio dissentiret, *esse* tamen principium aliquod, et omnino praeter regiminis formas ejusmodi quid apud gentes occurrere intellexit, quo ipsis insito efficaciter eae ad agendum impellerentur, cuique educatio, instituta, leges earum convenirent. [1]) Sic Heusdius pleniorem sensim certioremque, quam a Polybio accipere potuerat, ipse sibi comparabat historiae universae synopsin. Verum has opiniones mente volvens, sponte in quaestionem adductus est, qua graviorem existimabat nullam, num ipsum genus humanum, in hac temporum populorumque successione, progressionem ad ingenii animique maturitatem fecerit. Hujus quaestionis ut momentum persentiebat, sic videbat difficultatem; esse ejus probabiliter explicandae gratia ipsos adeundos historiae fontes,

---

1) *School van Polyb.* p. 21.

hos critica omnino diligentia et secundum eamdem populorum successionem consulendos et invicem comparandos. Fontes autem dicens, non historica tantum volebat gentium scripta, in quibus a multis inde annis totus erat; sed complectebatur hoc nomine ipsarum poësin et literas, philosophiam et disciplinas, quin artes etiam earumque monumenta. Ex his omnibus sibi cognoscendam putabat peculiarem indolem uniuscujusque populorum orbis, singularum, quae sibi successissent, generis humani partium. 1) Perspiciebat igitur argumenti sui amplitudinem, eamque quum non reformidaret, hinc exquisita sensim fluxit scholarum extraordinariarum varietas. Ut enim inquirendo progrediebatur, ita studiorum fructus, historiâ literarum, philosophiae, artium antiquarum et recentiorum tradendâ, communicare cum discipulis solebat.

In studiis hisce Heusdius alia aliis debuit, quorum et nomina nobiscum communicavit et vim tradidit ad maximas difficultates sensim expediendas. Tantum autem, quantum Heereno, recentiorum historicorum acceptum tulit nemini. Hujus, quae adhuc prodierant, disquisitiones, etsi sibi comparaverat, paulo serius cognovit, initio eos fortasse nondum habens progressus, ut multiplicem illarum praestantiam perspiceret. Sed postquam tertio, quartove muneris anno illas assidue legere suisque de Orientalium populorum historia opinionibus adhibere coeperat, admodum continuo hunc scriptorem probavit. Praeterea, eo duce, mercaturam et colonias antiqui orbis attentius spectare, arctissimam geographiae

1) *School van Polyb.* p. 23 sqq.

et historiae necessitudinem perspicere, in critica historica et fontium investigatione certius progredi didicit. Et quum dein alia ex aliis lectitaret perpenderetque scriptoris unius in paucis perspicui opera, tantum inde profecit ad suas de omni generis humani historia opiniones illustrandas et supplendas, ut Heerenum alterum sibi Polybium fuisse testaretur. 1)

Haec, ni fallor, ante ex Heusdii de studiis suis narratione promenda erant, quam perspicua posteriorum scholarum historicarum mentio fieri posset. In his autem scholis interior apparebat hominis gentiumque contemplatio. Nec mirum. Ipsa enim quo diuturniorem requirit indagandi observandique assiduitatem, quo majorem judicandi prudentiam exigit, eo minus vis ejus continuo prodire poterat. Eam ab initio tentatam, ita pedetentim progressam et ad plura deinceps argumenta relatam esse, ut in scholis anno 1813 posterioribus ubique perspicue appareret, laudatae probant animadversiones. Quapropter prouti antea in causis indagandis non semper ultra externa rerum momenta procedebatur, sic dehinc eadem alterum tenebant locum, et a causis constantissime secernebantur opportunitates. Has Heusdius minime negligens, locorum naturae, regiminis formarum rationi, virium physicarum conditioni, suum omnino cuique tribuens, in iisdem tamen subsistere nolebat ad civitatum incrementa, vigorem, lapsum et interitum exponendum. «Civitates—ajebat identidem— quum non saxo lignove, verum hominibus, constent, horum et studia referunt et his quid adsit aut desit

1) *School van Polyb.* p. 36.

diligenter investigandum gravissimarum conversionum *causas* sciscitantibus.» Et hac investigatione dici vix potest quam sedulo discipulis praeiret, inquirens non tantum in gentium indolem, studia, mores, inque aliarum ab aliis discrimina accurate constituenda, sed etiam in lentam generis humani ad maturiorem aetatem progressionem et, pro hoc progressuum modo, distinguens ab Orientalibus Graecos, ab his Romanos, gentes denique Germanicas ab omnibus antiquitatis populis. Hoc autem in primis animadversione dignum. Antea enim quum doceret historiam ad hominem cognoscendum adducere, jam pariter hujus cognitionem ad illam intelligendam valere affirmabat; hominem enim in ipsa agentem conspici, cujus quo magis perspicerentur diversa diversis vitae temporibus studia et sensus, eo certius apparere, suas gentibus quoque et generi humano aetates nec dissimilem esse progrediundi rationem. Sed hoc argumentum postquam sibi visus erat mente complecti totum, longe dignissimum judicavit, quod peculiaribus de historia Humanitatis scholis plenius explicaretur.

Has primum aperuit anno 1819 habuitque dein saepius. Continebant autem historicam disquisitionem de via ac ratione, qua homines, sive genus humanum, per temporum decursum ad ea omnia tetenderint, quae ad humanitatem, id est, universam *hominis* perfectionem referuntur. [1]) Hujus historiae munus describebat, quaenam sit hominis natura accurate explorare, porro e na-

1) Hac voce utens Heusdius, probe norat, eâ neque omnia contineri, quae nostro vocabulo *menschheid* exprimuntur, nec vero contineri posse, nobilioribus quippe recentiorum sensibus antiquitati ignotis. Vid. omnino *School van Polyb.* p. 118 et laud. illic *Scholae Socrat.* loca.

turae humanae appetitibus, studiis, facultatibus initia et progressus ducere eorum omnium, quae et cultius vitae genus referunt et ad majorem humanitatem genus humanum adduxerunt, tum vero de ipsa generis nostri ad perfectiorem conditionem progressione diligentius agere. Ecqua efficacior rerum pergravium cum juvenibus communicandarum opportunitas? Hominis attendebatur conditio tota, externa, qua partim nonnullis animantibus cedat, interna, qua excellat omnibus et corporis praestantiam ad optima quaeque convertere discat et natura moralis sit pulcri, veri, justi, immortalitatis sensu praedita, facultates quidem suas pedetentim exserens et in iis proliciendis alendisque multum amore adjuta, at maxime sublimes earum his in terris non satis explicans, quin alarum in pullis instar absconditas prope habens novam requirentes, ut plenissime pandantur, vitam. Sic spectata hominis natura, ejusque ad meliora accedendi studio ac facultatibus principio progressionum positis, hae ipsae, illinc ductae, in hominum gentiumque studiis, inventis, institutis animadvertebantur; quaecumque e religionum, societatis, regiminis formarum, muliebris sexus historia huc pertinent, veterum recentiorumque populorum ratione habita exponebantur; suus erat incultissimis stirpibus locus, ut non minus infimum humanitatis gradum quam huic proximos et altiores deinceps contemplaremur. Cunctis ea accedebat, quae interiorem illustrissimi argumenti rationem patefaceret, disquisitio, generis humani comparans et singularis hominis progressionem, eoque tendens, ut et utriusque convenientia appareret et verisimile fieret, genus humanum puerilem aetatem transegisse in regionibus Orientalibus, adolescentiae vigore

in Graecia et Italia fuisse, ad maturitatem vero propius accessisse in recentioribus Europae gentibus. Fidei autem faciendae inserviebant plurima: *successio festorum*, in Oriente sacrificiis constantium, apud Graecos et Romanos his quidem non carentium, sed cum gymnasticis ludis conjunctorum adolescentiae consentaneis, in gentium Germanicarum torneamentis tam concertandi modo quam honore feminis habito provectiorem aetatem referentium: porro *progressus amoris*, qui apud Orientales in reverentia positus esset erga parentes et potentiores, in Graecia ad amicitiae sensum progrederetur adolescentiae congruum, apud Germanicas gentes eo perveniret ut, quod maturioris aetatis sit, cum justo conjungeretur feminarum studio: dein *regiminis formarum ratio*, quae apud Orientales ad patriarchicam, quam dicunt, conditionem compositae, in Graecia Romaeque rebuspublicis constarent, aequalitatis studio conspicuis, in recentiore Europa ad monarchiam accesserint temperatam, multo illam ceteris formis praestabiliorem et magis virilem: tum *sensus honoris* in Oriente ad familiam et tribum, in rebuspublicis antiquis ad civitatem, apud Germanicos populos ad veram hominis dignitatem relatus: denique, quod non ultimo loco memorandum fuerat, *rerum externarum*, *vasti ac splendidi*, *pulcri*, *veri*, *justi*, *magnanimitatis et generositatis studia*, evolventia sese eodem modo et ordine in genere humano atque in singulari homine. Ceterum unum erat in his omnibus perpetuum, hominis dico *αὐτουργίαν*, cujus facultatem ita nonnumquam commemorabat Heusdius, ut in Divinae Providentiae veneratione desineret, quae hominem haud aliunde pendere, sed intrinsecus sese explicare et ad perfectionem tendere posse voluerit. Equi-

dem has disquisitiones tiro audiens, parum intelligebam; graves tamen opinabar, veteranos videns nullarum non disciplinarum studiosos in iis audiendis et excerpendis diligentissimos. Dein vero mihi quoque veterano iis interesse licuit, ac profecto illorum diligentiam neque tunc miratus sum nec postea improbavi.

Tales autem opiniones haud continuisse sese intra fines scholarum iis diserte exponendis destinatarum, sed quo magis suam velut maturitatem consecutae fuerant, eo majorem vim in aliis habuisse Heusdianae disciplinae partibus, facile est ad assequendum et ipsae testantur de artium, philosophiae, literarum historia scholae. Vastitas et splendor monumentorum Orientalium, Graecorum concinnitas, decor, nativa venustas: Orientis philosophiae decreta fervidae phantasiae specimina, Graeca placita subtilioris indagationis plena, politica Romanorum studia: ingenii in veteribus felicitas, rationis in recentioribus diligentia: sensus in Homeri et Ossiani, quae feruntur, carminibus longe diversi, haec igitur aliaque plurima ubi commemoranda veniebant, interior illa hominis generisque humani contemplatio ad lucem singulis afferendam tamquam praesto erat. In historiae autem universae enarratione quî eadem contemplatio non multo maxime conspicua fuisset? Hîc, quemadmodum significavi supra, ubique prodibat: hîc necessitatis, metus, emolumenti vim ad praeclara quaeque parienda rejiciebat: [1]) et, discernendo pariter ac conjungendo, diversarum periodorum naturam ac successionem com-

---

1) De hisce conferre operae pretium est Heusdii Orat. *de pulcri amore* p. 21. et Diatr. *in Civitates Antiquas* p. 54.

monstrabat: et partium studii commenta pellebat, ut vel contemto toties ac diris paene devoto Islamismo suae constarent laudes: et virium moralium in rebus populorum vim spectandam dabat: et in historia medii aevi non solum necessitudinem cum recentiore aetate, sed in primis gentium Germanicarum e barbarie ad cultum progressionem, nobiliores quam veterum sensus provectiusque ingenium exhibebat, quae quidem, ubi Christiana potissimum religione explicita sensim essent atque firmata, sacrorum pepererint commutationem et sic effecerint, ut ipsius religionis momentum ad omnem cogitandi agendique rationem infinite provehendam valere queat.

Sed opportune vires attigi morales, quippe quas Heusdius sedulo memorare soleret. Harum ope quantum perfecerint, harum defectione quantopere in pejus ruerint gentes, disertissime declarabat. In historia omnino velut in speculo cernendum praebebat, omne felicitatis momentum in boni positum esse justique studio, nullas, quae hinc non alerentur et tamquam succum et sanguinem ducerent, sufficere ad hominum gentiumque salutem tuendam ingenii laudes. Ab his omnibus facile altius adscendebat, ut in historia Divinam etiam Providentiam attenderet. Quod ubi apte fit, mentem erigit, ubi inepte, meris eam implet commentis, quae felices sunt praedicandi quibus serius ocius evellit veri amor. Ineptias autem intelligo, quando nos in nullis non hominum populorumque rebus interpretanda sumimus consilia divina, et horum accuratissimam scientiam venditamus, ubi nostra ipsorum et popularium nostrorum causa agitur: ac si non praestet iis, quae in historia quoque agnoscere licet, ad fidem evehi et venerationem Illius,

cujus consilia non nostra quidem semper, sed sublimia semper, semperque perfecta sunt. Hoc ab Heusdio discebamus res gentium enarrante; idemque religionem Christianam tandem speculam nactus, inde in omnes partes diligentissime observabat. Sed id infra patebit.

Historia saepe definita est rerum gestarum commemoratio cum significatione temporum et locorum; in qua definitione silentium displicet de rerum auctoribus, tamquam hos accessionis loco habere liceat. Ex Heusdii historicis scholis nullo quis tempore hanc duxisset opinionem; sed postquam suum ille, quo tetenderat ab initio, scopum attigerat, contraria omnia exinde apparuisse vel memorabile declarat veterani cujusdam discipuli responsum, qui anno 1814 magistro quaerenti ecquid historia esset, tuentique vulgarem eamque coram auditoribus nondum improbatam definitionem, hanc sibi minus probari, illam autem videri dixit *enarrationem vitae generis humani.* Ac profecto res gestas, Heusdio interprete, spiritus intus alere, adesse cernebatur, qui molem agitaret, homo; philosophiae erat cum historia conjunctio, non eo spectans, ut a *priori*, quod ajunt, ponerentur omnia et traderentur: unde historiae auctoritas vacillat, quodque gravius, sensus veri hebescit: verum eo valere illa conjunctio debebat, ut, exquirendo et observando res hominum et populorum, ad ea eveheremur intelligenda, quae et horum et generis humani quam maxime propria diversisque temporibus se exseruisse videntur. Hinc Critica a praeceptore commendabatur duplex, altera *literaria*, fidem monumentorum historicorum religiosissime explorans, altera κατ' ἐξοχὴν *historica*, a temporum confusione, a priorum

aetatum e nostri aevi opinionibus contemplatione, uberrimis illis errorum fontibus, avocans et sic in ipsam penitus inducens historiam, ut rite ea pleneque dijudicetur. Utriusque autem exemplum proponebant scholae, quod qui sequebatur, nae is, in rebus generis humani, primordia, vicissitudines, progressionem humanitatis, nec sine *προπαιδείας* diligentia, et indagandi non obtrudendi studio, et prudentius quam subtilius persequi discebat.

Haec non temere scripsi, in primisque erat, quod *προπαιδείας* diligentiam memorarem. Fuerunt enim Heusdii auditores, qui, quum ipsi hanc negligerent, non tantum se ridiculos probarent historiae studiosos, sed insuper sermonum suorum levitate philosopham historiae colendae rationem inepte aliis enarrarent; unde haec apud nonneminem invalesceret opinio, abducere eam ab accuratissima rerum gestarum ex ipsis fontibus indagatione. Huic autem opinioni eo aegrius assentiare, quo difficilius est vinculum videre inter historiae penitus perspiciendae studium et viae, illuc unice ducentis, neglectionem; gaudeoque omnino, nuper Kistium et Royaardsium, ex Heusdiana utrumque schola profectum, quo illam opinionem infirmarent, ad decem provocasse disquisitionum historicarum a se deinceps edita volumina. [1]) Sed Heusdius diligentiam postulabat, utque disciuli manus operi adhiberent, prorsus requirebat. Quodsi qui facere detrectarent, horum in gratiam cunctis dapes apponere, quas sibi quisque debuerat

---

1) *Archief voor Kerkelijke Geschiedenis, inzonderheid van Nederland.* D. X p. VIII.

vel adhuc poterat parare, ipsi videbatur cum institutionis Academicae dignitate et consilio pugnare. Sic, ut hoc utar, ex quo et in Gymnasiis nostris historia accuratius tradi coepta erat et meliora adolescentibus prodierant Enchiridia historica, major in ejus scholis animadversa fuit parsimonia eorum, quae e compendiis peti possent. Ad auditores praesertim se accommodabat communium literarum haud ignaros, quos, criticam adhibens obrussam veri, jam porro in ipsam gentium historiam induceret; et, licet in discipulis sibi esse intelligeret rudiores nonnullos, rationemque habere omnium conaretur, quos Academica institutione non indignos constaret: firmiter tamen tenebat, se item corona juvenum cingi, quos patriae aliquando decori et adjumento et praesidio et robori fore suspicaretur.

Attuli, quae et aliarum et historicarum praecipue scholarum ubertatem auxisse arbitror, undeque factum puto, ut Heusdius historicae scholae in patria nostra auctor celebraretur. Quodsi nonnulli nova hîc invenerint opinione pauciora, multa adeo ejusmodi, quae jam dudum ipsi aut a praeceptoribus suis aut aliunde acceperant probaverantque; cogitent illi velim, quae ante hos viginti quinque annos e Trajectina historiae cathedra primum tradita fuerint et plenius dein emendatiusque explicita sunt, per hanc annorum seriem non surdis cantata fuisse. In iisdem autem si forte discipuli eorum habeantur, qui Heusdio sive praesentes sive absentes magistro usi sunt, his equidem suadeo suos adeant praeceptores. Non enim dubito, quin responsum laturi sint ab excellentissimo quoque simplicissimum.

Sed hîc non subsistendum. Quanti enim refert non solum *quid*, sed *quo* illud *modo quoque consilio* cum

alumnis communicetur, in primis a doctore Academico, cujus in disciplinam juvenes tradi oportet, ipso aetatis flore, liberaliter educatos et institutos, principes futuros in civitate viros!

Initio Heusdius pleraque dictando exponebat, nec sibi in perspicue atque Latine loquendi facultate statim confidens et motus, si quid video, Wyttenbachii in *vita Ruhnkeniana* disputatione.[1]) Illo autem tempore dictandi consuetudo, cujus laudatores hodie rari, adeo florebat, ut *novus* Professor ea mittenda permultis ne gratum quidem facturus fuisset. Attamen non is erat Heusdius, quem scribentes perpetuo discipuli diu delectarent. His ei machinae in mentem veniebant, non agri ad semen excipiendum rite subacti. Itaque cavendum judicabat, ne in summo disquisitionum perspicue et pure conscribendarum studio nihil praeterea in ipsa schola proferre auderet; et, ne arctius se scripto adstringeret, veterum adhibebat interpretationem; in qua quum discipulis suae continuo partes tribuerentur, saepe egregia aderat illustrandi, corrigendi, addendive opportunitas, priusquam animadversiones ad loca difficiliora dictabantur. Accedebat, qua a scriptis verbis facilius abduceretur, aliarum scholarum repetitio, quaque hebdomade institui solita, semper ex alumnorum responsionibus non nihil subitae disputationis pariens. Ad hanc autem Heusdius sibi non poterat non aptus videri: ea erat, ipso libere loquente sermonesque cum auditoribus miscente, animorum attentio, ita omnium ora et oculi in praeceptorem conversi. Hinc ille plus-

---

1) Wytt. *Opusc.* I. 590.

culum audere, neque tamen de scribendi diligentia remittere, sed hanc unam ad bene dicendum viam censere et vero meditatus ad ea accedere, quae mox verbis vestirentur ἐπιτυχοῦσιν. Sic dies *revera* diem docebat, et sensim haec explicandi ratio ex aliis in alias, quin in omnes, transferebatur scholas. Interim dictandi mos non omnino abrogatus fuit. Namque illud Heusdius tenebat et probabat: «Juvenes Batavi *aliquid* sibi dictari volunt» et idcirco numquam iis aliquid dictare desiit, sed hoc exquisita brevitate conspicuum, gravissimum fere, quo cetera niti videbantur, quodque cum his ipsis pro auditorum progressibus et Enchiridiorum etiam bonitate strictius uberiusve illustrabatur, tanta quidem cum facilitate, ut ex hac subita disputatione suum quisque excerpere et in margine dictatorum annotare disceret. Eo modo omnibus erat, quod auferre e schola domique relegere et meditari possent, plurimis vero suscitabatur illic et alebatur αὐτουργία. Huc autem ipsa etiam dicendi ratio valebat, quae summa se perspicuitate commendabat, et minus ad oratoris gravitatem exacta quam culti sermonis virtutibus conspicua, hujus omnino simplicitatem referebat, elegantiam, urbanitatem, lepores item politissimos et vim omnium animos advertendi. Nihil ea severi habebat, nedum morosi, contra hilare aliquid et juvenile, ipsius aetate etiam provectioris proprium, mirificeque valens ad pulcritudinem, gratiam, lepores, quibus quantopere multa veterum scripta ornentur, acriter ipse sentiebat, velut oculis discipulorum subjiciendos. Quam pulcritudinem si quos penitus percipientes animadverteret, plurimum his ille delectabatur. Nam «pulcri amorem et excitandum in juventute et aptius excitari non posse censebat, quam

literis humanioribus. » [1]) Si peregrinus Heusdio, praeclarum argumentum exponenti, supervenisset, mox e fronte illa explicita, e vultu benevolentiam spirante effecturus fuisset, quam suave huic viro accideret juvenibus cingi, quibus optima quaeque impertiret. Ejus Latinitas jucunda auditu, intellectu facilis erat. Vix putasses eum peregrino sermone uti. Adeo verba affluebant et ad nil non mira cum facilitate et gratia exprimendum praesto erant. Inter audiendum tamen non Ciceronem aliumve Latinum scriptorem praecipue cogitasses, sed ex assidua optimorum scriptorum lectione et diuturna scriptione ortam esse credidisses hanc concinne ordineque dicendi facultatem. Voce disserebat minus grandi et plena quam propria pronuntiatione et varia flexione efficaci, eoque, si argumentum ferret, sensu et affectu incitata, ut penitus moveret audientes ac recitando in Homeri, Tragicorum, Demosthenis admirationem raperet. Et his et privo quodam habitus, vestitus, gestus decore vel novitiorum oculos in se convertebat, quorum multos fatentes audivimus, hunc sibi singularem prope virum videri, cui quem compararent, se habere neminem. Sed has voces non urgeo. Novitiorum quo minor est judicii vigor, eo celerior saepe et magis vaga admiratio. Quid veterani? — Festinemus lente. — Nondum animadversa sunt omnia, quae in judicio ipsorum vim habuerunt. Interius adeo hunc juventutis instituendae modum declarari oportet.

Anno 1819 Heusdii, scholas suas instaurantis, haec erant ad discipulos verba. « Vos huc venistis ut disce-

---

1) Or. *de pulcri amore* p. 2.

retis, ego ut docerem. Ac de me quidem sic habetote. Ego non ad vos accedo, ut perfectus doctrina et sapientia vir, qui ex eruditione mea unicuique largiar et doctrinae thesauros distribuam. Multum mihi ad eruditionem deest et usurpo Solonis illud, γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος· non quasi aetate jam senescam — quamvis non florente, tamen vigente sum aetate — sed annis procedens magis magisque perspicio, mihi discendum esse. Porro non infundam in mentes vestras humanitatis disciplinam, sed proliciam, sed animadvertam, ut Wyttenbachii verbis utar, quo sint vestra ingenia gradu maturitatis ad partum studii, idque cum ad nascendum elicere, tum nascens juvare, tum natum alere ac moderari conabor. [1]) Et ex hisce jam intelligitis, discere non tantummodo esse accipere, quae traduntur; sed accedere oportere studium *αὐτόματον*. *Αὐτουργοὶ τῆς σοφίας* esse debetis. Verum hoc item animadvertatis. Studiosi estis, sive ***studentes***, nempe doctrinae. Quis autem vere est studiosus? Multi sunt, ut parentibus gratum faciant: egregii sensus, sed, si nihil accedat, pietatis fructus non erunt uberrimi: alii *πρὸς τἄλφιτα*· laudabile habetur negotium, sed nemo mortalium hoc studio ad praeclara pervenit, mercenarii fiunt et serviles: alii laudis et gloriae studio ducuntur: sed fieri potest, ut merces et esca negentur. Hi omnes non studiosi, sed ***pseudo***-studiosi; nam nolim de iis dicere, qui aegre ad haec studia accedunt et coacti, qui examen, quod dicitur, onus habent vel finem industriae cujusdam, non opportunitatem progressus suos probandi. Studiosi au-

---

1) Cum his cf. Or. *de pulcri amore* p. 15.

tem nomine eum demum insignimus, cui *amor* est doctrinae. Eo nos omnes conjungi, eum communem vobis discentibus et mihi docenti esse oportet. Ceterum duplex hîc video auditorum genus, alterum veteranorum, novitiorum alterum. Novitii, ni fallor, faciles se praebebunt veteranis, ut laudabilia eorum exempla sequantur, nec minus moribus quam progressibus se commendent. Sed ideo veteranorum quoque erit, optima exempla proponere, veteranorum erit, novitios juvare in literarum studiis et, si opus est, defendere adversus quosvis aggressores, veteranorum erit, cavere ne strepitu resonent auditoria antequam scholae habentur. Nam mihi quidem suavissimum semper accidit, quod honestum est et decorum. *Humanitatis* disciplinam tractabimus. Vos autem, sive veterani sive novitii, me habebitis cuncti adjutorem, fautorem. Nam fateor publice, vitam meam totam studiosorum emolumento et saluti impendi; quoque melius hoc mihi procedat, eo feliciorem meam mihi vitam fore.»

His verbis condiscipuli mei, certo scio, expressam dicent interiorem Heusdianae institutionis formam. Methodum Socraticam referebat illa et singulari nitebatur erga discipulos amore. Nobis quaecumque diligentissimus praeceptor prodesse arbitrabatur, cumulate praestabat. Nostrum unumquemque, hoc quidem honore non indignum, comiter excipiens et omni officiorum genere juvans, factis etiam ostendebat, suos sibi alumnos curae cordique esse, neque se illud tempus, quod, generosissimis muneris occupationibus detractum, propriis studiis vindicaret, in lucro putare, sed, quod discipulis cum suarum adeo jactura horarum datum esset, optime impensum censere. Horum autem ad praeclara

quaeque incitandorum cupidini nequaquam cedebat facultas. Sive disserebat ipse, sive cum auditoribus colloquebatur, sic comparata erant omnia, ut, qui non hebetes prorsus in scholas venissent, ultro mente erigerentur, quaeque ille tradebat et interdum depingebat, libentes exciperent. Non afferam, quae ex memorata disquisitionum suavitate et momento hîc omnibus animo obversantur. Verum alliciebat praeterea peculiaris ejus ipsam discipulorum mentem movendi facultas, qua vel inscii multi ad cogitandum et inquirendum invitabantur. Nam alias cognoscendi cupidinem apud auditores excitabat vehementer et, postquam eos in viam duxerat, ipsis eam explendam, id est, inveniendi et voluptatem et utilitatem ipsis relinquebat, donec horum studiorum fructus exploraret: alias, gentis cujusdam instituta enarrans, subito in aliorum populorum contemplationem vocabat, ut comparando, quid uniuscujusque proprium et quatenus progressio in singulis cerneretur, pateret; quod antiquitatis Romanae v. c. scholae declarant, habitae eae priore tantum muneris tempore, plenaeque comparationum inter Orientis, Graeciae et Romanae civitatis instituta: saepe a facilioribus, vulgo notis, a vitae communis observatione ordiens, paulatim, nec aegre sequentibus discipulis, ad difficiliora et graviora progrediebatur, de quibus, historici praecipue argumenti quaestionibus, ut suam ipsi sententiam scribendo exponerent, identidem auctor erat. Nam varia domestica studia pro vario cuique ingenio vehementer commendabat, et diverso cavebat modo, ne omnibus tamquam paratis frueremur. Qua re plurimis profuit plurimum, prouti scriptiones v. c. eae ostendunt, quas a discipulis accepit permultas, compositas tum vulgari tum epi-

stolae aut dialogi formâ, plures autem Latinitatis elegantia, ingenii acumine, diligenti investigatione pro aetate illa spectabiles: quas laudes, lectis iis publice ac dijudicatis, Heusdius sic fere efferebat, ut efficacissimis simul ad majorem virium intentionem concitaret stimulis. In primis autem sermones nobiscum miscere, nullas non quaestiones ponere, nos interrogare amabat. Apta interrogatione quantopere mentem juvenilem acui intendique existimaret, ipsâ adeo dictatorum suorum formâ probavit, quae, quum initio continua disputatione constitissent, sensim in formam abierunt ἐρωτηματικήν· ita tamen ut historica, ad singulas singularum aetatum paragraphos, continuae factorum enarrationi subjunctas tantum de gravissimo quoque argumento quaestiones haberent. Sed Heusdium colloquiis ineundis maxime delectatum fuisse ajebam. Tum interrogando satiari non posse videbatur. Hîc mihi in mentem veniunt horae scholarum historicarum repetitioni destinatae. Quanta interrogandi suavitas: quam attente nos audiebat, quamque apte, si quid ab altero minus plene explicitum esset, alterius item sententiam eliciebat et mox, ceteris jam aures arrigentibus, tertium pluresque in partes vocabat: ut, diversa diversorum indole perspecta, calcaribus in his, frenis in illis utebatur: quam urbana reprehensio, etsi neque ironiâ semper carens et efficax subinde ad pudorem injiciendum: ut, qui eum noverant, e vultu et habitu augurabantur verum vidissent necne: et optimus quisque, si rem acu tetigisset et oculos illos gaudio splendentes intuitus esset, quanti faciebat illud, propria etiam pronuntiatione gratum, *recte*, *bene!* Sic eum aperiuntem cognovimus juvenum

animos, elicientemque, quae inessent, facultates omnes, et has nutrientem ac firmantem.

Verum hae repetitiones nondum satis ei uberrimam colloquii familiaritatem referre videbantur. Impedimento erat cathedra, qua nisi doctor a discipulis, hi saltem ab illo separantur. Amicus inter juniores amicos sedere malebat, quo magis insiti iis sensus atque facultates colloquendo elicerentur. Huic genio indulgens, saepe ad focum cum discendi cupidis in auditorio suo vel Homerum legebat, et quidquid verba ac dictiones, sensus adolescentiae in his carminibus conspicui, ipsaque recitandi ratio ad nativam venustatem percipiendam continerent, sive ipse proferre sive sodales ad proferendum invitare solebat: vel dialectice diversa interpretabatur poëtarum aliorumque scriptorum loca, Horatiana, Ciceroniana, vitae Ruhnkenianae partem, alia, ut dialecticam pateret in principibus lyricis non minus quam in optimis prosae orationis scriptoribus animadverti; unde gravissimi manabant de poëseos et universae et praesertim lyricae natura sermones.

Sed familiaritate haec colloquia, utut jucunda, iis tamen cedebant, quibus delecti tantum ab Heusdio discipuli intererant. Ea domestica erant, vespertina, Socraticis juncta poculis, alternisque hebdomadibus cum iisdem discipulis decem plerumque vel duodecim inibantur, ansam praebente lectione Plutarchi, Demosthenis, Aristophanis, omnium autem maxime Platonis, cujus quemadmodum in scholis dialogi plerumque breviores, certe faciliores, ita hîc Phaedon, Politia, Leges, quin Timaeus explicabantur. In his sessionibus Heusdius totum se nobis dabat, nobisque prorsus ut amicus familiaribus utebatur. Qua in benevolentiae significatione

nihil ejusmodi erat, ut descendere ille tamquam e suo altitudinis fastigio ad nos videretur: hoc, ipso judice, deprimit animos ac restinguit: contra erigere ad sese nos gestiebat, unde, quod ipsi interdum acciderat coram Wyttenbachio, nobis item aliquoties evenit, ut vix cogitaremus, quanto cum viro una essemus. A locorum interpretatione hîc quoque initium fiebat, quibus vitio laborantibus si quis medicinam afferret sanumve pronuntiaret de aliorum inventis judicium, Heusdio gratissimum erat, nec suas celanti conjecturas et admodum gaudenti vel leviore e veterum praecipueque Platonis sui scriptis sublata macula. Hinc autem, ipso praeeunte quaestionesque nostras et animadversiones provocante, sermones in varias diffundebantur Socraticae et Platonicae philosophiae partes, donec in praestantissimas sententias delatus de naturae humanae facultatibus, de hominis ad veritatem conversione, de immortalitatis sensu studioque, de *ὁμοιώσει θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν*, donec in ea omnia incidens, quibus praeclariora antiquitas non tulit, *τὸ συμφιλολογεῖν* ad *τὸ συνενθουσιᾷν* eveheret. [1]) Tum summa ejus erat nobiscum colloquendi vis et ubertas. Aliis sponte alia nectebantur. Urgeri cognitio sui: de magnis viris agi, invitis opportunitatibus excellentiam suam assecutis: pulcri, veri, boni amor, omnium progressuum effector, e vultu lucere: conferri etiam cum veteribus recentiores: celebrari praesertim Fr. Hemsterhusius deque eo ita disseri, ut disertissimae ad ipsum legendum commendationis instar

---

1) *Br. over het beoefenen der wijsg.* p. 32 seq. Cf. S. Karsten in Dedic. *Xenophanis Coloph. Carm. Rel.*

esset: et vero ostendi, quantum lucis antiquae illius philosophiae studium etiam nunc afferre omnibus possit, bona sua excellentiora penitus nosse cupientibus. Sic praeeunte illo, quidni nostrum nonnullis id commune cum ipso fuerit, ut pariter sese ad egregia quaeque incitatos et accensos sentirent? [1]) Pulcerrima sane animorum consensio! Utrimque ea animadverti non poterat, quin arcte conjungeret utrosque. Vidi virum a sessionibus illis vespertinis recentem, defatigatum saepe diuturna intentione, sed alacrem continuo et gaudio perfusum, ubi de praestantissimis illis discipulis referre coeperat, quibuscum una inquirere, quos colloquendo inflammare incredibiliter jucundum esset. Audivi sodales virili aetate fatentes, suum erga Heusdium amorem his praesertim coetibus mirifice crevisse. Scilicet ipsum exemplum praeceptoris contemplari nusquam clarius poterant. Hoc vim augebat sermonum ad pulcri verique studium confirmandum, ad excitandam et alendam vitam propriam vereque vitalem uberrimorum, quales adhuc illi loquuntur eum plantare et seminare in animis discentium percalluisse.

Quod autem ad Platonis potissimum lectionem alliciebat, in eo agnoscitur ὁ φιλοπλάτων. Quem ipse praestantissimum judicabat totius antiquitatis scriptorem, non poterat non eum in primis commendare et familiarem cupere compluribus. Nota sunt ejus ad Creuzerum verba. «Si quis alius ex antiquitate scriptor, Plato sane jungit animos, quippe studium excitans virtutis, quo copulamur facillime: imo incendit nos vehementi quo-

1) *Br. over het beoefenen der wijsg.* p. 33.

dam pulcri bonique amore, ut una cum virtute ipsum diligamus philosophum et quicumque et illum et virtutem diligunt.» 1) Verumtamen quantacumque ea commendatio erat, non tanta erat, ut ad aliorum duceret scriptorum neglectionem. Horum enim publice explicare eum consuevisse diversissimos, Ordines Lectionum probant, et, ne privatim quidem unum lectum fuisse Platonem, modo indicavi; quo etiam factum, ut a Goudoeveriana de Polybio ad Scholtenianam de Demosthene variae, suasore Heusdio, de variis scriptoribus antiquis variisque historiae locis conscriptae sint Disputationes. Sed hoc e superioribus, vel me tacente, intelligeretur, sive Platonem ille sive alium nobiscum interpretaretur scriptorem, sive gentium historiam enarraret, sive ceteras haberet scholas, Socraticae et Platonicae philosophiae vim in opinionibus ejus magnam, in docendi vero methodo insignem fuisse. Discere et docere quid revera sint, inde ad assequendum profecit, quoque interius illud *βλέπειν εἰς τὴν φιλοσοφίαν τῆς ψυχῆς, καὶ ἐννοεῖν ὧν ἅπτεται καὶ οἵων ἐφίεται ὁμιλιῶν* perspexerat, eo magis in *ὀργάνῳ* illo, *ᾧ ἀλήθεια ὁρᾶται*, *rite* acuendo et instruendo rem omnem verti judicavit. 2) Quid mirum ferme dixerim, si *μαιευτικὴν* plenissime aliquando disertissimeque descripsit. 3)

De bono praeceptore facilius est colloqui cum condiscipulis quam narrare iis, qui eum haud noverunt. Ab illis sponte intelligeris; si quid mittis, praesto est,

---

1) *Epist. ad Creuz.* p. 2.
2) *Socrat. School* IV, 35.
3) *Init. phil. Plat.* II, 1. 52.

qui suppleat, qui animum nunc huc nunc illuc convertat; et in sentiendi communione quantum est, quod memorabile videtur, cujus tamen momentum aliis nullo modo probes! Apud hos autem multis indiges verbis, de quibus semper dubitas satisne perspicue ac digne omnia declarent, talesque lectores verbis hisce vim vigoremque addere nequeunt, vel credere tibi, non, dictorum veritatem persentire, possunt. Haec cogitatio saepe animum meum subiit interiorem adumbrantis Heusdianae institutionis formam, eamque premere nolui, ut omnes viderent, quam parum credam, me cuncta attulisse, quorum praestantissimi sodales summo jure recordentur. Verumtamen hoc opto ut e mea qualicumque tandem narratione pateat, Heusdii methodum eo pertinuisse totam, non ut discipuli intelligere tantummodo praeceptoris aliorumque doctorum virorum opiniones, sed ut a duce suo, sine duce, per se ipsi, pro suis quisque facultatibus progredi suamque ipsi viam pergere discerent. [1]) Id autem qua in re Heusdius iis discendum arbitrabatur? Primarium omnino institutionis hujusce consilium quale fuit?

In Academiis, eruditionis sedibus, [2]) principia eruditionis et accuratae scientiae alumnis comparanda esse communis Heusdio erat cum sano quovis sententia, et ipse eadem sedulo dispergere conabatur. Ingenium juvenile ut doctrina ornaretur, ut disciplinae quisque suae devinciretur, hanc per totam vitam diligeret, ceteras magni faceret, in votis erat. Sed haec ita maxime ra-

---

1) *Br. over H. Ond.* p. 226.
2) *Socrat. School* II, 294.

ta fore, ut maxime eruditae scholae haberentur, numquam credidit; contra, quarum haec praecipua laus et commendatio esset, eas citius ducere opinatus est ad magistrorum admirationem quam ad amorem disciplinarum. Et hunc tamen volebat, constantem, progressus disciplinarum afferentem, ipsi non ignotum, tanto ardore magnos viros incendentem, « ut pro literis, pro artibus, pro doctrinis, tamquam pro amoribus suis et deliciis, nil non suscipiant libenter et facile perficiant, imo ultro exquirant novas difficultates, quo de iis melius etiam praeclariusque mereantur.» [1]) Vel ideo scintillae, quas in discipulis latentes animadvertebat, perpetuo suscitandae et movendae ei videbantur, flammam hinc cupienti, quae se ipsa aleret. Verum propterea non putabat, nihil ultra esse quod spectaret. Imo amorem illum eo vehementius excitare studebat, quo arctius eum consilio suo primario necti posse judicabat. [2]) Hoc autem idem erat, quod et sibimet ipsi finem bonorum posuit, ut discipuli ab animo pariter atque ab ingenio excolerentur. [3]) Eximium, si quid video, consilium, quo utinam omnis ubique referretur Academica institutio! Multae sunt multorum de nostra aetate querelae. *Φιλαυτίαν* loquuntur, levitatem, inexplebilem auri et honorum famem. Desiderant fidem et pietatem. Malas artes tum in rationum publicarum necessitudinibus tum in privatis civium

---

1) *Epist. ad Creuz.* p. 18.

2) *Socrat. School* II, 296.

3) *Br. over H. Ond.* p. 324. Cff. *Br. over het beoefenen der wijsg.* p. 65, 68. et Or. *de pulcri amore* p. 26. Utrumque opusculum cito ad constantiam hujus opinionis indicandam. Alter enim libellus altero viginti annis est posterior.

negotiis grassari et florem civitatum in industria potius quam in moribus quaeri contendunt. Neque Heusdius altero ante obitum anno a morum bonitate Europam nostram valde laudavit, [1]) et dein Godofredus Hermannus in tempora haecce acerrime invectus fuit. [2]) At horum — inquis — plerique sunt laudatores temporis acti!— Si essent, plus tamen emolumenti afferrent, quam assidui isti nostrae virtutis et gloriae praecones, qui, quum aegrotos in persuasionem sanitatis ducant, viam ad sanitatem praecludunt. Equidem minime affirmo, neminem supra verum queri; sed *hoc* tamen plurimum negligi opinor, quum nos aeque animo atque ingenio homines simus, non alterutrum, misso altero, verum utrumque pariter excoli oportere. Utriusque autem dissensio malorum, quaecumque tandem publice et privatim gliscunt, fons est praecipuus. Quid enim, si ex vero nostri amantes sumus, extra quaerimus, quod in nostra ipsorum conditione positum est? Facultates nostras arctissimo vinculo junxit Providentia Divina; hoc numquam sine dispendio suo rumpit homo; et quemadmodum, ingenio vel parum vel partim exculto, non eum ille prodit vigorem, cui nihil pusilli, nihil superstitiosi, nihil denique a ratione alieni adhaereat: ita, igniculis virtutum non diligentissime suscitatis, se cogitat unum, suusque sibi Deus fit, atque ad se quidem eo magis omnia refert, quo in ingenii excellentia

---

1) *Br. over het beoefenen der wijsg.* p. 51. Cff. *Charact. princ. Philos. vet.* p. 245.

2) Orat. *in tertiis sacris secularibus receptae a civibus Lipsiensibus reformatae per Martinum Lutherum religionis*, quae exstat *Opusc.* VII, 414.

et loci, quem tenet, amplitudine paratiora sunt cupiditatibus obsequendi praesidia. Sed hunc malorum fontem claudere, unum omnium est difficillimum, et haud scio an salutem unice a justa sperare liceat institutione, quae in puero jam totum hominem respiciat totumque porro convenienter aetati et facultatibus curandum suscipiat, et in Academia coeptis nitens, omnium facultatum concordiam et conspirationem alere ac roborare pergat. Nam haec seminarium est principum in civitate virorum, quibus penitus informandis totisque ad veritatem convertendis numquam satis operae adhiberi potest. Hi enim quando meliora ignorant, aut vident tantummodo, nec venis, ut ita dicam, et medullis infixa habent, quid reliquos futuros, quo tandem omnia evasura esse putamus? Quantum igitur ad summam salutem gentium conferre Academiae possunt, si quidem principia veri et boni et sancti in iis omnibus vigeant et egregiam earum tamquam fecundent eruditionis copiam, si quidem efficax illic sit ad vitae studiorumque conjunctionem praeparatio! In hanc sententiam Heusdius, solemnia aliquando pro Academiae Trajectinae prosperitate vota nuncupans, Deum precabatur, « non, ut splenderet Academia, sed, ut intus esset bona: non, ut celebrarent eam exteri, sed, ut digna esset, quae celebraretur: non, ut crebri ad eam undique confluerent discipuli, sed, ut commendarent se ejus alumni discendi ardore, progressibus, vitae honestate, pietate.» [1]) Atque huc vires intendere sublime vocabat, quin expetendum Professorum munus, quo non tantum de ae-

1) *Orat. Saec.* p. 30.

qualibus bene mereri, sed insuper efficere liceat, ut proba nos excipiat et rite exculta progenies. [1]) Quod autem illud universe *Professorum* munus vocavit, rectissime id, quod summum est, non ad quarumdam disciplinarum doctores retulit, sed omnium omnino esse censuit. Quosnam enim excludemus? Ecquis disciplinam tradit omnis praesidii inopem ad hominem in homine instituendum atque erudiendum? [2]) Ac justa docendi ratio, cui nulla est cum longis de virtute disputationibus communio, nonne innumeras habet veri amore incendendi opportunitates? Quo quem flagrantissimum reddideris, de eo neutiquam desperandum. Fateor, in hoc ingenii animique cultu promovendo, veterum literarum et historiae doctorem non minimum certe disciplinis suis juvari, ipseque Heusdius ita, de sese loquens, pronuntiavit. [3]) Sed nolim tamen illud *plus* et *minus* momenti, quod in disciplina sit, aurificis statera examinetur, quum, *quantum* in doctore sit, rem saepenumero conficiat. Heusdius igitur disciplinas ad consilium illud idoneas professus est; an vero eas illuc accommodate tradiderit, si lectoribus ex iis, quae disserui, efficiendum relinquo, haud difficilem, ut opinor, illis dirimendam relinquo quaestionem.

Triginta quinque annos Heusdius munere suo in Academia Trajectina eo functus est modo, quem pro viribus adumbravi. Hoc temporis spatio varia ei obtigerunt,

---

1) *Br. over H. Ond.* p. 236.

2) Apte Fr. Ed. Beneke id sic expressit: «die Bildung zur Humanität, Menschen zu sein, im höchsten Sinne des Wortes» in *Allg. Einleit. in das Akad. Studium.* p. 52.

3) *Br. over het beoefenen der wijsg.* p. 66.

unde colligeret, se instituenda juventute operae pretium facere videri. Meminimus honorificum primorum discipulorum de novo Professore judicium. [1]) Hoc non diutissime ipsorum sermonibus continebatur, sed pro more juvenum, in neutram profecto partem de praeceptoribus tacentium, cum pluribus deinceps communicabatur, adeo ut Trajectini cives, quorum alii alias Heusdio docenti intererant, esse putarent quod Academiae suae gratularentur. Dehinc continuis doctoris progressibus fama ejus crescebat. In censuris Orationis, qua munus professorium auspicatus fuerat, commemorabatur a nostratibus singularis ejus eruditio, eximia docendi facultas, augescens in dies celebritas, spes futurae ejus in his literis excellentiae. [2]) Socius adscribebatur Societatibus Literariis in patria plerisque, apud exteros haud paucis, in quibus Academiam Scientiarum Borussicam jam anno 1812 Heusdium, scriptorem *Speciminis Critici* egregiorumque discipulorum praeceptorem, Epistolarum de re literaria commercio secum junxisse, memoratu dignum videtur. [3]) Praeterea ille, vix tribus annis docendo ex-

---

1) Vid. p. 41.

2) *Algem. Konst en Letterb.* a. 1806, D. 1, p. 402. et *Schouwburg van In- en Uitlandsche Letter- en Huishoudkunde*, a. 1806, N. 2, p. 101, et N. 4, p. 216 Posteriorum autem censurarum scriptores non magis laudando placere quam animadvertendo prodesse Heusdio juveni studuisse et ego scio et facile credent, quibus eas legere placeat. Lectu etiam digna sunt, quae, ex *Allg. Liter. Zeit.* Erg. Bl. 1809, N. 27, p. 215 ducta, exstant in *Alg. K. en Letterb.* a. 1810, D. 1, p. 233.

3) Heusdius Societatibus adscriptus fuit hisce: Societati *Artium et Scientiarum Trajectinae* (moderatorum suffragiis) d. 7 m. Nov. a. 1803, proximique anni d. 3 m. Julii Societati *Literarum Neerlandicarum Leidensi:* Societatis *Trajectinae* moderatoribus d. 19 m. Junii a. 1805: Societati *Scientiarum Zeelandicae* d. 22 m. Oct. a. 1806: Societati

actis, in Universitatem Regiam Hollandiae, quo nomine tunc ornata a Rege Ludovico Academia Leidensis erat, [1]) successor vocabatur Luzacii, quem exardescens die 12 m. Januarii a. 1807 pulvere pyrio oppletum navigium, ad fores aedium amici corruentium, oppresserat. [2]) Haec autem literarum et antiquitatis Graecae professio Heusdio ita offerebatur, ut, si quando historiae tradendae provincia ipsi mandaretur, hanc muneris accessionem ne detrectaret, et annuo frueretur duorum millium et quingentorum florenorum honorario, [3])

Scientiarum Harlemensi d. 21 m. Maji a. 1808: *Instituti Regii Neerlandici* Classi tertiae d. 6 m. Julii a. 1808: Societati *Latinae Jenensi* honoris causa m. Oct. a. 1811: *Academiae Scientiarum Regiae Borussicae* classi historicae et philologicae m. Julio a. 1812: Societati *Regiae Bruxellensi* d. 17 m. Julii a. 1816: Societati *Regiae Scientiarum Göttingensi* d. 25 m. Nov. a. 1826: Societati *Historico-Theologicae Lipsiensi* d. 10 m. Dec. a. 1832: Societati *Regiae Archaeologiae Septemtrionalis Hafniensi* d. 30 m. Jan. a. 1834: *Instituti Francici* Academiae doctrinarum moralium et politicarum d. 22 m. Julii a. 1837, ejusdemque anni m. Nov. honoris causa Societati *Archaeologicae Atheniensi*: Societati *Thuringo-Saxonicae* d. 14 m. Martii a. 1839. — Quod autem in frequentia relationum, quibus exteri Heusdii mortem cum orbe erudito communicarunt, (v. c. in *Biblioth. Univ. de Gen.* Juillet 1839, p. 120. *Allg. Lit. Zeit.* Int. Bl. 1839, N°. 52, p. 420. *Heidelb. Jahrb.* 1840, p. 785. *Gött. Gel. Anz.* 1840, p. 608.) nonnullos mirari subiit, e literis m. Aprili 1841 datis illum adscriptum fuisse patuit Societati Africanae recens conditae hoc titulo: Institut d'Afrique *fondé dans le but de concourir à la civilisation et à la colonisation universelle de l'Afrique par l'agriculture, le commerce, l'industrie, les arts, les lettres et les sciences.*

1) Siegenbeek, *Geschiedenis der Leidsche Hoogeschool.* I, 381.

2) Wytt. tum in *Epist. ad Sanctocrucium*, obvia in Vita illius a Mahnio scripta p. 184 sqq, tum in *Epist. ad Wolfium*, — vid. *Epist. Wytt. Select.* a Mahnio ed. Fasc. 2, p. 37 — et Siegenbeek l. l. p. 377.

3) Sic Curatores Univ. Reg. Holl. in vocationis Epist. d. 11 m. Martii a. 1807, ubi quo jure illi Heusdium *Luzacianae* quoque disciplinae alumnum vocarint, equidem ignoro. Scholis Luzacii Heusdius

id est, Trajectinum septingentis florenis superante; nam in iis ille Professoribus Trajectinis fuerat, quibus Curatores superiore anno lautiorem impetraverant conditionem, ipsius quidem pristino salario sexcentis florenis aucto. Et alia Heusdio stationem Leidensem commendare censebantur, et insignis Wyttenbachii erga discipulum benevolentia, studiosissime ad accipiendam conditionem adhortantis, [1]) quin, ubi de spe persuadendi prope deciderat, sic urgere non desinentis: «Tu rem diligenter iterum iterumque perpende, neque committe, ut tui te aliquando consilii poeniteat. Utar proverbio: quidquid agis, prudenter agas, et respice finem. Concludam *Δημοσθενικῶς· εἴρηκα σχεδὸν ἃ νομίζω συμφέρειν· σὺ δ' ἕλοιο, ὅ τι καὶ τῇ πόλει καὶ πᾶσιν ἡμῖν συνοίσειν μέλλει.»* [2]) Neque Leidam coram marito parum celebratura credebatur uxor Charlotta, Maria, Anna Pompeyra, cujus materterae meae, quam ille die 8 m. Julii a. 1806 duxerat e gente abrogati Edicti Nannetensis tempore huc delata, sorores duae felicissimis nuptiis Leidae florebant. Licet in re adeo gravi proximeque cum mariti salute conjuncta tantam sui rationem habere, quanta hac multorum opinione continebatur, vel tum alienum ab hac femina futurum fuisse arbitrer, si avia mea ex horribili Leidensium clade salva evasisset atque carissima matre filia frui praesens praesente potuisset. Sed quidquid Leidensem stationem commendare videba-

---

ne *annum* quidem interesse potuit. Vid. Siegenbeek l. l. p. 369. Fortasse aliorum juvenum instar, privata Eruditissimi Viri consuetudine usus est. Mirum tamen, cognatos ea de re, quod sciunt, nihil umquam ab Heusdio accepisse.

1) Cf. Mahne in *Vita Wytt.* p. 192.

2) Cf. cum hisce *Wytt. Epist. Sel.* Fasc. 3, p. 59.

tur, Heusdio Trajectina multis nominibus [1]) adeo jucunda erat, ut hujus a relinquendae consilio refugeret. Quod quum, plaudentibus discipulis et magistratu etiam urbano laetitiam insigniter significante, Universitatis Regiae Curatoribus scripserat, parum cogitabat, si aliquando rei optio denuo daretur, fore ut ad contrariam tandem partem quodammodo inclinaret. Jam huc ejus sententia inclinasse videtur quadriennio post. Ubi enim ob insperatam illam recusationem vocati fuerant primum Huschkius Rostochiensis, deinde Creuzerus Heidelbergensis, alter autem factam de conditione accipienda spem fefellerat, alter Leidam jam delatus, valetudinis gratia, quam primum in patriam redierat; vocationis negotium, aliis alio in mentem veniente, [2]) extractum est ad annum usque 1811, quo Curatores Luzacii successorem diutius desiderari non posse intelligebant. De Heusdio se Boschium probare ajebant Collegae, modo conditionem acceptum iri liqueret. Eo autem hic illum dudum perducere conatus erat, honorarium loquens quatuor millium florenorum, integrum Wyttenbachii favorem, adhuc discipulum sibi collegam exoptantis, ancipitem sub Napoleonte Academiae Trajectinae fortunam, aliaque plura urgens, quibus diu amici animum non ita dubium faciebat, quin iterum se iterumque recipe-

1) Ipse in Orat. a. 1807 habita « persuasit - inquit - ne hinc abirem et muneris suavitas et discipulorum studium et collegarum amicorumque necessitudo et vitae omnino felicitas, tanta sane, ut, nisi hac contentus, mererer profecto nullam.» Vim Collegarum benevolentiae et conjunctionis ipse suspicabatur Wyttenbachius. Vid. *Epist. Sel.* Fasc. 3, p. 62.

2) *Wytt. Epist. Sel.* Fasc. 2, p. 54, 58, 68, et Fasc. 3, p. 89; coll. Mahnii *Vita Wytt.* p. 193 sqq.

ret. Sed tandem voti ille compos exstitit, Heusdiique, ancipiti fortasse rerum Academicarum statu adducti, fide collegis suis satisfacere potuit. Quo nuntio allato, duplex maxime causa eam attulisse moram videtur, qua irritum tandem fuit vocationis consilium. Nempe et Heusdius suaserat, ut sui commendandi negotium in Cuvierii et Noëllii adventum differretur, quos brevi Academiarum ordinandarum gratia huc profecturos esse accepisset: et Curatoribus, lentae festinationis momentum intelligentibus, visum est de Heusdio non prius ad Imperatorem referre, quam, quid hic in causa Francicae cathedrae decrevisset, constaret; ad quam nimirum ornandam Curatores nuper scripserant unum in paucis aptum fore Doct. J. H. Kraane, meum item avunculum, de me puero et adolescente multis nominibus bene meritum, subtilissimi ingenii et variae eruditionis virum, veterum recentiorumque literarum peritum, Francicarum autem ita peritissimum, ut intelligentes judices nostratium perpaucos ei compararent. Mox diem suum obiit Boschius, qui diuturnae morae, ut veri simile est, minus patiens futurus fuisset. Francis enim nova cathedra placuit, displicuit Kraanius. Spreto Curatorum praejudicio, tandem suum intruserunt popularem J. J. Mielle. Hoc tum compertum est, quum Imperatoris voluntate et alia immutata erant prisca Academiae instituta et Curatorum auctoritas supererat nulla, a quibus etiam si quid ante deliberatum decretumve esset, nihil magnopere curabatur. 1) Sic

1) Haec duxi tum e Boschii ad Heusdium de hoc argumento epistolis tum e Curatorum Leidensium *Actis;* unde etiam patet, d. 24 m. Apr. a. 1811 ultimum ea de re deliberatum fuisse, atque ex eo omnino

temporum momenta Heusdium Trajectinae Academiae servarunt. Quorum quidem contrarius eventus quorsum diverso nomine valiturus fuisset, non deerunt, qui conjicientem me audire velint. Sed de iis, quae futura fuissent, si id, quod non evenit, revera evenisset, cogitare equidem jucundum censeo, cum amicis colloqui perutile, scribere vero publice, *γραμμάτων*, si qua parum intelligantur, *σεμνῶς πάνυ σιγώντων*, ut leniter dicam, temerarium puto. Affirmare praestat, Heusdio hunc eventum non valde molestum accidisse. Nam, quamquam interea decretum erat ut Academia Trajectina in secundi ordinis Scholam [1]) commutaretur, metus tamen rerum adeo accisarum, ut exigua aut nulla superfutura esset juventutis instituendae facultas, inanis repertus est. Tanta Trajectini alacritate docere pergebant, quanta ulli possunt, qui patriae jacturam fecerunt. Sic praeterea concordes in adversis, fortesque in iis, quae nondum perdita videbantur, tuendis erant, ut Heusdius dein praedicaret saepe, sui in eo docentium ordine loci pudere aut poenitere potuisse neminem. [2]) Ipsi tunc discipuli erant *ὀλίγοι τε φίλοι τε*, nonnulli adeo, qui

---

tempore Curatores rarissime convenisse, vel, si convenerint, decreta sua, paucissimis alio pertinentibus exceptis, scripto mandanda haud curasse. Boschius autem d. 1 m. Junii a. 1811 de vita decessit.

1) École secondaire.

2) Vid. omnino Heringa, Academiae Trajectinae eo item periculosissimo tempore (ut Heusdius ait in Orat. *Saecul.* p. 8) vindex ac stator, in festivissima Orat. *de rebus, quae Acad. Trajectinae, ipso Rectore, acciderunt, prosperis et adversis*; quae exstat in Ann. Acad. Traj. a. 1815—1816 p. 107. Cf. (Van Asch Van Wyck) *de Stad Utrecht in hare betrekking tot de Hoogeschool in dezelve gevestigd.* Utr. 1841 p. 66 sqq.

hodie summa merito existimatione et gratia florent. Sed nondum de Leidensis Academiae erga Heusdium voluntate absolvimus. Post annum enim 1815 non tantum privatim in Wyttenbachii rude donati cathedram invitatus est, verum quadriennio post similiter denuo ei Borgeri, viri excellentis, ipso aetatis flore patriae erepti, cathedra fuit oblata. Quam licet, pariter atque antea Wyttenbachianam, etiam atque etiam per amicos recusaret, nequaquam tamen tum Leidensibus placuit in causa privatim confecta acquiescere, qui contra a Rege eum, nulla mora interposita, creandum esse censerent.— In Borgero Academia Leidensis incredibilem jacturam fecerat, cujus sarciendae ergo nil intentatum relinqui oporteret, nec actum quidquam videretur, dum quid superesset agendum.— Sic censentibus multis Kemperus praeivit, vir strenuus ad omnia peragenda, quae bona et honesta judicaret. Quum autem vocationem Heusdio prorsus non in votis esse, ipsi Regi *constaret*, haec causa fuit, cur Leidensium studiis non extemplo satisfieret, sed, qui altero loco a Curatoribus commendatus fuerat, vocaretur. Verum hoc Cl. viro conditionem detrectante, coepto haud desistentibus Leidensibus Rex d. 20 Febr. a. 1821 gratum fecit. Quod ut illi laetissimi acceperant, ita Heusdium, ne hanc irritam esse vellet laetitiam, peramanter enixeque rogarunt. Legi Eruditissimorum virorum ad eum epistolas. Quidquid rationum habeant amicitia, amor Academiae, inclyti viri admiratio eoque coram fruendi cupido, cumulatissime in iis invenitur: Leidam Heusdio, uni omnium *πλατωνικωτάτῳ*, migrandum esse non ad Wyttenbachii aut Borgeri cathedram conscendendam, sed ad suam ipsius illuc transferendam: Professorum discipulorumque, unam omnium, esse vocem,

si minus Heusdium Leida, at Leidam Heusdio indigere, si pristinum literarum principatum tueri vellet: historiae constare eum doctorem esse unicum, qui, quum tot annos Trajectinam Academiam lumine suo beasset, nonne Leidensem jam respiceret, almam suam matrem? regiam vocationem confirmasse totius patriae sententiam, et, quantumvis ipse maluisset illâ non ornari, jure eam Principem et Leidae et literis et suo ipsius judicio haud negasse; id enim cunctis notum esse oportere, a Rege Heusdium judicari dignissimum.— Verum plura non exscribam de egregio epistolarum fasciculo, quas quum dubitem iisne, qui scripserunt, an ei, qui accepit, honorificentiores dicam, hujus cognatis eas quovis auro pretiosiores dicere non dubito. Hoc tamen unum addere libet, quod haud parvum apud Heusdii animum momentum habuit: universos Academiae Leidensis cives literas in eamdem sententiam scriptas per delegatos suos, excellentissimos in sua quosque disciplina juvenes, ad Heusdium perferendas curavisse. «Unius praesertim rei cogitatione scribendi ardorem excitatum fuisse affirmabant. Acceperant, quanto studio suae ipse disciplinae alumnos complecteretur, quantaque eorum esset in ipsum amoris magnitudo. Horum igitur preces ne nimium valerent, operam sibi dandam esse duxerant, idque significandum, quam discipulorum caritatem Trajecti relicturus esset, eamdem ipsum Leidae inventurum: omnium animos summa ipsius exspectatione teneri, sic arbitrantium, Heusdium unum esse, a quo cumulata gravis jacturae compensatio sperari posset: id se omni opera acturos, ut ne umquam Leidam migrasse Heusdium poeniteret, ac Trajectinorum erga ipsum studia vel aequarent vel superarent.» — Tot tamque gravibus momentis quid opponebant Trajectini?

Cuncta, quae viri boni mentem moveant. Praesens omnia vidi aut audivi. Curatores, Professores, cives et Academiae et Urbis tanta cum asseveratione contendebant, cum Heusdii consilio Academiae salutem conjunctam esse, eum discipuli amorem probabant, ut nihil supra posset, ut ille, firmiter tenens, institutionem suam alibi nihilo ad utilitatem uberiorem fore, hos tamen deserere, relinquere stationem, quacum arctissima sibi intercederet decem et septem annorum necessitudo, se haud posse arbitraretur. Hoc ubi publice significaverat, complurium apparuit gratus animus, [1]) cui quae accepta refertur Heusdii imago et picta et aeri incisa, ut ipsi munus, profectum quippe ab Academiae alumnis, longe jucundissimum fuit, ita et cognatis ejus et amicis et discipulis suavissimam hodieque promovet dolendi voluptatem. Ceterum, quod haud scio an jure superioribus nectatur, eodem anno 1821 a Rege Heusdius creatus est ordinis leonis Neerlandici Eques.

Ita laudato et expetito non dubium esse poterat, quin instituenda juventute aliis operae pretium facere videretur. Verumtamen graviora et cariora laudibus illis ei obtigerunt testimonia. Quam enim Leidenses juvenes locuti erant discipulorum erga Heusdium amoris magnitudinem, ea profecto singularis fuit, ex fonte autem manabat eo, quem Kemperus indicaverat vocationis tempore. «Tu noli alumnorum caritate Trajectinae stationi affigi; fons enim ejus non in juvenibus illis, sed in te est, ipsaque idcirco parata tibi ubique.» Et sane,

---

2) Cf. verba Rectoris Magnifici in *Ann. Acad. Traject.* a. 1820—1821 p. 57 sqq.

quo jure dicatur ἔρως ἀντέρωτα τίκτειν, in iis Heusdius fuit bonarum artium doctoribus, qui plurimum experirentur. Non diu paulo erectioris indolis juvenes ejus disciplina usi fuerant, quin allici sese ad hunc virum sentirent. Initio haec vaga admiratio, utpote tironum, vix dissimilis ei, qua Heusdius ipse primum Wyttenbachium suum prosecutus fuerat. Sed, quo magis Heusdianae rationis sibi paulatim conscii fiebant, eo praeceptorem colere ac diligere magis incipiebant. In scholas ejus historicas, ad sessiones vespertinas quatuor et plures adeo annos continuos venire, ejus consuetudine, quoad poterant et licebat, uti, de gravioribus adeo vitae rebus eum consulere solebant. Quin germani discipuli, in quos nemo non *hujus* praecipue refert effati scriptorem, « haud aliter erga Heusdium atque filii erga patrem affecti erant.» [1]) Quodsi tempora inciderent dilecto viro memorabilia, luculentissime patebat, quanti eum facerent universi. Infixus multorum animis haeret dies 26 m. Januarii a. 1829, quo Heusdius quinque lustra docendo explerat. Nihil ad summam, qua apud cujusvis doctrinae studiosos florebat, gratiam *videndam* aptius fuerit solemni illa ad musices concentum salutatione vespertina, quam Wilbrinkius descripsit, juvenis, dum in vivis erat, ingenio animoque excellens, Heusdii per septem annos auditor assiduus, inque eo colendo nostrum nemini secundus, historiae autem amore flagrantissimo quem, si fata sivissent, mox duplici probaturus fuisset Disputatione, alterâ de *Robertsono*, de *sacrorum emendatione* alterâ. Sed hujus descriptionem quoties-

---

1) Godgel. Tijdschrift: *Waarheid in Liefde*, a. 1839, p. 915.

cumque legi, toties me festo illo die absentem fuisse aegre tuli. Omnes ἐνθουσιασμῷ plane, ut ille ait, ferebantur praeceptoris salutandi, ipsiusque in laetitiae communionem veniendi. Adibant eum, non cantu tantum, verum etiam vultu et corporum habitu ac motu maximam exprimentes laetitiam et hilaritatem. Heusdio, cui haec paene improvisa accidebant, parum erat juvenum delegatis, qui conclave intraverant, breviter, sed non sine sensu affectuque, respondisse; ad fenestram sponte trahebatur, omnem coronam videndi gratia, κάλλιστον illud θέαμα τῷ δυναμένῳ θεᾶσθαι, ubi tanto statim et plausu et clamore excipiebatur, ut penitus commoveretur, nec posset non, se ad juvenes convertens, intimos iis aperire animi sensus. Itaque, silentio exorto, amicitiam mutuumque amorem celebrabat, et « his — inquit — nosmet invicem prosequimur, optimi mihique carissimi juvenes! Haec hora testis esto. Mihi incredibiliter jucundum, summae voluptati est, eam hîc adspicere civium Academicorum frequentiam, et numquam profecto, numquam haec hora ex animo excidet. Amicitiam et amorem dico, et hercle jubet animus publice declarare, eo me erga vos duci maximo; numquam nostram, qua jungimur, necessitudinem ita penitus sensi, uti nunc persentio; amore me amplectimini, id nunc probatis efficacissime, sed nunc sentire mihi videor, eo me dignum esse. Saepius hinc alio vocabar, semper oblatam conditionem repudiavi, numquam mei me consilii poenituit, quia magis magisque animadverto, quam arcta nos invicem attingamus necessifudine, quia magis magisque animadverto, meam in animos vestros penetrare disciplinam, quia magis magisque animadverto, animorum inter nos conjunctionem esse, mihi conjunctionem vobiscum, qui,

quidquid pulcrum est et honestum et bonum, amatis. Nostra igitur amicitia, amor noster sit opto perpetuus; et, quum ego hac de vita decessero, tum vos hujus etiam memineritis horae, memoriamque meam grato animo colatis opto futurum.» 1)— His auditis, effusa omnes exsultabant laetitia, eo quippe se cum Heusdio conjunctos sentientes vinculo, quod nulla umquam aetas disruptura esset. Quamquam hujus conjunctionis vim iidem se postridie demum penitus percepisse fatebantur, Heusdio e cathedra de iis narrante, quae ipsius in rebus pridie acciderant. «Tum enim — inquiunt — audivimus, quantopere nos diligeret, qui verae nostrae saluti consuleret, optimus magister. Verbis quidem affectus exprimere non possumus, qui tum animum subiere nostrum, gratissimos. Quae enim Heusdius mente volverit, alii ex ejus oratione facile efficient, sentire vero, iisque penitus imbui, illi potuerunt tantum, qui ipsum tum et audiverunt dicentem et commotum adspexerunt.» Quod autem eum verae ipsorum saluti consulere statuerunt, ei rei fidem firmare vel haec, quam celebrant, hora poterat. Nam praeceptorem non unice de jucundissima vespera narrantem, ac profitentem audiebant, «saepe se observantiam et caritatem discipulorum expertum esse, sed tantum amorem, quantum nunc expertus esset, numquam se suspicari ausum fuisse;

---

1) Sic Heusdium patrio sermone locutum esse e Wilbrinkii, qui, fenestrae proximus, haec quoque praeceptoris verba *auribus biberat* et mox scripto mandaverat, literis cognovi, paulo post ad Burghgravium datis, Franequerani Gymnasii Prorectorem, virum et ipsi et mihi amicissimum, nostrum porro utriusque amantem et Heusdianae institutionis, qua quo brevius eo studiosius usus fuit, pium cultorem.

hac eos caritate ipsum doctorum omnium felicissimum reddidisse », non igitur haec unice eum commemorantem, verum insuper exponentem audiebant, quid, de ipsius sententia, illi bonarum artium studiosi spectassent egissentque potissimum, qui jam gravissimis muneribus splenderent vel digni hoc splendore ab omnibus censerentur, si forte praesentes sodales, ipsius ex usu et experientia, ad viam studiorum naviter persequendam, proficere cuperent. Et hae de optimis discipulis animadversiones, singulatim deinceps illustratae, praecipue erant: « incubuisse eos naviter in Graecarum Latinarumque studium literarum, vel, si eas negligentius tractassent, hujus ipsius negligentiae postea eos poenituisse vehementer: — porro literis conjunxisse historiam fere, qui recte progrederentur: — industriae plerosque et assiduitati plus, quam ingenio debuisse: optimos quosque lectionibus Professorum diligentissime interfuisse: multos se cognovisse quos hac in re negligentiae puderet postea, quos vero diligentiae poeniteret, nullos: — vitae eos felicitatem moribus magis quam studiis assecutos fuisse, utrisque autem quempiam eam certissime facillimeque consequi: — quibuscumque aliquis esset sive ingenii facultatibus sive in doctrinis progressibus, nisi idem cum pietate parentes, tum observantia magistros, tum fide amicos prosecutus esset, de eo nil magni aut praeclari esse augurandum. Nam pectus est— ajebat porro — quod disertos facit, sed efficit hoc item, ut nulla non arte factitanda vere consulamus civibus nostris, ut et dotes ingenii omnes et quaecumque his dotibus assecuti sumus, ad patriae humanitatisque commodum adhibeamus efficaciter. Pectoris autem sensus excelsiores quo tandem modo istis inesse possunt, qui

vel impii in parentes sunt, vel ingrati erga magistros, vel in amicos perfidi.» [1]) — Verum in discipulorum versabamur, Heusdio suavissima, caritate, cujus hoc insuper proprium fuit, ut constantiam haberet magnitudini parem. Illam neque temporis decursus, neque locorum disjunctio, neque diversa vitae conditio, neque provectioris aetatis progressus minuebant. Quin erant, apud quos ipsi illi progressus cumque iis adaucta conscientia sui caritatem eam alerent et firmarent. Ac constantiae illius testes fuerunt literae a discipulis, decem pluribusque adeo annis ante Academiae civibus, non modo hinc, verum etiam e Germania ad praeceptorem datae, venerationis et pietatis plenae: testes veteranorum, Trajectum revisentium, salutationes cum diserta pristinae disciplinae mentione cumque evidenti grati animi significatione et vero consilii expetendi studio conjunctae: testes altera Academiae Trajectinae Saecularia anno 1836 celebrata, quibus ut undique ad almae matri gratulandum confluxerant, ita cinctus ille quotidie fuit nullorum non patriae locorum incolis, singulari prorsus observantia et pia beneficiorum recordatione praeceptorem prosequentibus et hanc ei, ad lacrymas interdum commoto, exprimentibus vocem: «hi dies mihi vitae instar sunt. In vestro amore jam mihi mortalium beatissimus esse videor» [2]): testes denique nobis post ejus obitum exsti-

---

1) Vid. *Narratio eorum, quae diem 26 m. Jan. a. 1829 spectant,* et Heusdii *ad bonarum artium in Acad. Rheno-Traj. Studiosos Protrepticus* in Calendario Studiosorum Traject. a. 1830 et in Friedemanni *Bibliotheca Scriptt. ac Poëtt. Latin. aetatis recent. selecta.* A. Scriptorum I, 2, 163.

2) Hanc vocem audivit quoque et retulit Goudoev. l. l. p. 25.

terunt veterum discipulorum scriptiones, quibus neque ad luctus acerbitatem, nec vero ad radicum altitudinem declarandam, quas amor ille in multorum mentibus egerat, efficacius quidquam proferri potuisse opinor. [1])

---

1) *Hulde aan Van Heusde, bij zijn graf hem toegebragt*, door A. Van Goudoever en H. J. Royaards. *Het overlijden van Van Heusde herdacht in de openbare zitting van de derde Classe van het Kon. Ned. Instituut, op* 27 *Aug.* 1839, door Mr. C. A. Den Tex. *Ter nagedachtenis van Ph. W. Van Heusde*, door Mr. C. Star Numan, bij de opening zijner Lessen 4 *en* 7 *Sept.* 1839. *Over Ph. W. Van Heusde's vorming van toekomstige Godgeleerden, eene rede, ter opening der Akademiesche Lessen, voorgedragen* door L. G. Pareau (geplaatst in Godgel. Tijdschrift *Waarheid in Liefde*, 1839, p. 913.) *Memoriam Heusdii cum discipulis recoluit* N. C. Kist, lectiones auspicans Historico et Philosopho-Theologicas, a. 1839—1840 habendas. A. Van Goudoever *Sermo, ad discipulos habitus*, die XVIII m. Sept. a. MDCCCXXXIX. *Ph. W. Van Heusde, geschetst als Geschiedkundige en als Paedagoog tot de Godgeleerdheid:* in twee voorlezingen door Herm. Joh. Royaards. *Levensberigt van wijlen den Hoogl. Ph. W. Van Heusde* door zijnen Ambtgenoot Mr. A. Van Goudoever. (uit den *Utrechtschen Studenten Almanak* van 1840, met bijvoeging der *hulde bij het graf.* Ex qua Goudoeverii scriptione pariter atque ex ejusdem *Sermone* in primis profecit J. Roulez, Prof. Gandav., in *Notice Biographique sur P. G. Van Heusde*, Brux. 1841.) *Andenken an den grossen hochberühmten Herrn Professor Ph. W. Van Heusde*, von Gerh. Stockfeld. A. Ekker, *Epistola de Heusdio ad Fratrem P. Epkema*, praemissa illius disquisitioni *de Gymnasiis Patriis, in primis de Gymnasii Rheno-Trajectini interiore ratione*, quae exstat in *Symbolis Literariis*, vol. IV. Et haec quidem ad Heusdii memoriam celebrandam de industria scripta sunt. Quo pertinent etiam carmina V. V. plur. Ven. R. H. Graadt Jonckers: *hulde aan de Nagedachtenis van den Hoogleeraar Ph. W. Van Heusde*, et R. P. Verbeek: *ontboezeming bij den dood van mijn' hooggeachten leermeester Ph. W. Van Heusde.* Sed multa insuper a multis Heusdii amicis atque discipulis exhibita sunt singularis amoris testimonia. Ne loca ex ephemeridibus et nuntiis literariis afferam, lectu in primis jucunda sunt dicta a Viris Clar. J. Heringa, m. Sept. a. 1839 scholas suas instaurante: (Vid. *levensberigt van den Hoogl. J. Heringa* door H. E. Vinke in *den Utr. Stud.*

Ex hoc discipulorum amore Heusdius certissime jucundissimeque aliorum perspiciebat de institutione sua judicium; imo poterat eodem, et singulari et continuo, illuc adduci, ut hoc judicium ipse verum esse crederet, in primis si omnibus caritatis documentis vim adderet institutionis suae latissime patentem. Illa enim non continebatur iis, qui in literis antiquis vitae tabernaculum collocare decreverant. Hi primo quidem loco praeceptori curae erant, qualesque ipsius e schola prodierint, eorum de variis literarum partibus declarant Commentationes, momento quidem diversae, sed eam, ni fallor, testantes veterum literarum tractandarum rationem, quam supra indicare studui, id est, cum philosophia conjunctam. Quod si quis in optimas illius generis Commentationes juveniles Karstenii, qui praeceptori nostro in cathedra Trajectina successit, re-

---

Alm. voor het jaar 1841.) M. Siegenbeek in *Aanspraak bij de opening der Verg. van de Maatschappij der Nederl. Letterk. gehouden den* 18 *Junij* 1840, p. 15: C. Pruys van der Hoeven in Or. de *Institutione Academica* p. 43: H. E. Vinke in Or. de *religionis Christianae in conformandis hominum animis iisque consolandis vi atque efficacitate* p. 4: J. F. Van Oordt, quum in Or. *de vero in Theologia unice sectando* p. 47, tum in Godgel. Tijdsch. *Waarheid in Liefde*, a. 1840, p. 597: W. Muurling in *Philalethes*, *over de Waarheidsliefde* p. 32: S. Karsten in Or. de *antiquarum literarum doctrina cum philosophia conjungenda* passim: et J. H. Scholten in Or. *de vitando in Jesu Christi historia interpretanda docetismo*, *nobili*, *ad rem Christianam promovendam*, *hodiernae Theologiae munere* p. 29. Denique complures summa cum voluptate ignoti scriptoris (de quo tamen conjectura vix displiceat docti et hunc librum merito laudantis censoris in *Allg. Lit. Zeit.* Apr. 1841 N°. 59, p. 466.) legent de Heusdio ejusque institutione sententiam, in libro: *die Unruhen in der Niederländisch-Reformirten Kirche während der Jahre* 1833 *bis* 1839. — von X. Herausg. von J. C. L. Gieseler, Hamb. 1840 p. 199.

ferendum esse censeat *Specimen Pindaricum*; is me quidem non tantum ipsi assentiri, sed etiam statuere sciat, Heusdianae in antiquitate explicanda rationis vim in eodem cerni *Specimine.* Ad integram autem illius rei aestimationem minime praetereundum censeo, in praestantissimis Gymnasiorum nostrorum Doctoribus eos et fuisse et etiam nunc esse Heusdii discipulos, quorum e disciplinae ubertate perspicue pateat, quale quantumque ad ipsos rite erudiendos pristinae institutionis momentum fuerit. Verum institutio illa in plurium profecto quam in literatorum, qui dicuntur, animis aculeos relinquebat sanequam acutos. Quae illum in scholis disserentem audiebamus, haec brevi crebris sermonibus usurpabantur, ac prorsus fiebat illud, quod in Epistolis de *Institutione Superiore* praeclarus Senex evenire ait, [1]) ubi auditoribus paulo exquisitiora traduntur: alii vehementer probare, subdubitare alii, non uno modo intelligere omnes, quidam in extrema ducere, hos revocare prudentiores, nec familiaribus tantum sermonibus haec juvenili cum *ἐνεργείᾳ* disseri, sed in sodalitiis etiam literariis justa disputatione, responsionibus ad positas quaestiones, variique generis scriptionibus explorari. Quibus omnibus quid ad promovendam *αὐτουργίαν* multorumque animos praeclaro veri indagandi ardore arcte jungendos aptius esse potest? Sic Heusdiana disciplina liberam mentis agitationem etiam extra scholas suscitabat amicitiaeque conciliatrix erat generosissimae; quam quidem utramque plurimi ille faciens suadebat fere junioribus, ut istiusmodi

1) P. 234.

se dignos praestarent sodalitiis, quae egregiorum juvenum studiis florebant. Et, quandoquidem ejus scholae frequentes erant cujusvis doctrinae studiosis, haud pauci, si nullum alium, hunc certe fructum inde capiebant, ut non somniantes ad suam accederent doctrinam, aut, ubi accesserant, ad meliora sensim expergiscerentur. Quod cave ne exiguum putes. Nam libera mentis agitatio, qua vis ingenii stabiliatur ipsumque maturi judicii particeps fiat, in iis procul dubio est bonae institutionis Academicae momentis, quae per totam vitam eximie prosunt. Verum erant, qui plures ex eadem disciplina fructus caperent, qui ita, Heusdio duce, in antiquitatem et historiam inducerentur, ut suo dein exemplo probarent, quanta sit justae per eas praeparationis ubertas, quantopere hac παιδείᾳ diligenter usi in sua quique doctrina quum accurate et philosopha ratione colenda tum utilissime adhibenda et tradenda juventur. Quaerunturne nomina? Ex nullo fortasse eruditorum genere plura quam ex theologorum ordine afferri possent, quorum quod multi ea hodie pro concione verba faciunt, unde salubrem philosophiae et religionis conspirationem speres, quae nec cum ratione pugnant et penetrant in animos eosque ad verum consectandum flectunt, causas intelligo esse varias: in his autem quotiescumque a peritissimis judicibus Heusdianae item institutionis momentum memorari audio, toties, ea cogitans, quae lectoribus supra enarravi, non habeo quod opponam. Sed quidni evidentius loquor, missoque nominum afferendorum scrupulo, in viam cunctos duco rei interius pleniusque dijudicandae? Anno 1823 Kistius et Royaardsius ad theologiam historicam in Leidensi et Trajectina Academia tradendam vocati, munus

suum orationibus auspicabantur, quibus quum se probabant Heusdii discipulos tum spem faciebant fore, ut alia atque in patria adhuc obtinuerat ratione suas colerent traderentque theologiae partes. Dicebat enim ille de *progressione ingenii humani in dogmatum historia Christianorum animadvertenda*, hujus vero argumentum erat de *hominum gentiumque varietate in Christianae societatis historia observanda.* Eam autem spem quatenus eventus confirmarit si equidem definirem, ridiculus hercle ipsis illis duumviris viderer; ac praeterea in manibus sunt, quae rem dirimant, tam disputationes ab alumnis editae, quam varia ipsorum, exteris etiam haud ignota, scripta. Id tamen silentio premere nec possum nec volo, utrumque in carissimi capitis desiderio ea se cogitatione erigi testatum esse, quod suae item disquisitiones valuissent tum ad peculiarem illam historiae colendae rationem, quam Heusdius in patria nostra suscitavisset, propagandam, tum ad opinionum ipsius historicarum gravitatem in ecclesiae quoque et rei Christianae historia patefaciendam. [1]) Sic semina, a magistro sparsa, per discipulos translata alio sunt. At — inquis — tantumne per discipulos? Vix credo. Numquam enim Heusdium audiverat Clarissius, inclyti theologi Leidensis filius praestantissimus, cui eodem fere tempore historiam ecclesiae Christianae in Academia Groningana docendi provincia mandata fuit. Hic tamen, teste patre, Heusdianam historiae tractandae rationem, quam et aliunde et in primis ab Oordtio suo acceperat, apto sane narratore, minime neglexit philosophiamque cum critica conjunctam

1) *Archief voor Kerk. Geschied.* X, p. VII.

suis et disquisitionibus et scholis historicis diligenter adhibuit. [1]) Qui vero e Clarissii schola prodiit et magistro, immatura morte patriae erepto, successit Doct. Hofstede de Groot, quis, lectis viri Cl. *Institutionibus historiae Ecclesiae Christianae* auditisque discipulis, eum Heusdii mentem explorasse et recte perspexisse neget? Possem, si opus esset, alios citare egregios viros, qui, sive crebris amicorum sermonibus adjuti, sive Heusdii dictata meditando, in praeceptoris nostri de gentium atque humanitatis historia opiniones sese insinuarunt indeque ad suas ipsorum vires plenius exserendas profecerunt. Sic enim dicendum, et procul hinc arcenda est inepta imitationis cogitatio; sed, prouti imitatio in praeclarum ingenium non cadit, [2]) ita studium undique suscipiendi, quod insitas facultates acuat, excolat, perficiat, in praeclarissimum quodque cadit maxime. Atque haec breviter et argumento monente, quibus plura continuo et aliunde petita adderem, ni in hisce vim institutionis cerni putarem Heusdii scriptis *confirmatam*. Quod autem omnium

---

1) *Brief van J. Clarisse aan de Hoog-Eerw. Hoog-Gel. Heeren N. C. Kist en H. J. Royaards*, in horum opere *Archief*, I, 347. Quod autem Oordtium, Professorem hodie Leidensem, apte narraturum fuisse credo, nititur haec opinio non posterioribus viri Clar. commentationibus: nam ex maturioris aetatis scriptis sermones dijudicare illius, qui vix Academiam reliquit, vereor ut probandum videatur: sed nititur ea opinio disputatione ejusdem theologica *de Religione Christiana, ad conjunctionis et societatis studia alenda et promovenda, cum aptissima tum efficacissima*, in primisque loco ibi explicito *de progressu societatis in genere humano;* quo quidem loco vix absoluto Oordtius illuc Euangelii Interpres profectus est, ubi arctissima eum cum Clarissio, veteri amico, idem in vicinia munus obeunte, junxit necessitudo.

2) Vid. Heusdius, vim adumbrans Socraticae disciplinae in Demosthene, *Init. phil. Plat.* II, 1, 84.

omnino, quae a bono praeceptore efficiuntur, longe praeclarissimum est, ut non doctiores quam meliores informet discipulos, ut tales ex ejus schola multi prodeant, quales, rite progredientes, ingenii animique sanitate suo quique loco rem publicam firment, ne hîc quidem Heusdium irritam operam posuisse credibile videatur. Nam operam quidem illum eamque justâ viâ posuisse supra vidimus, et ponere haud difficulter potuisse dein perspicuum erit, *ipsum* contemplantibus eo enitentem, quo alios ducere conabatur. Verumtamen in re adeo gravi, cujus integra et plenissima aestimatio non e factis tantum, sed praecipue e factorum principiis pendet, affirmando nolim levitatis accusari. Etsi haud tenuis, me judice, defensio parata in complurium voce esset, quos Heusdio et verbis et literis fassos esse scio, se novae vitae initium, omnino *τὸ εὖ ζῆν*, ipsi acceptum referre. Haec institutionis Academicae vis esse ultima potest, ubi talis ipsa est, qualem eam esse et oportet et omnes boni ardentissime cupiunt, totius hominis dico *τροφὴν καὶ παιδείαν*.

Sed tempus est narrationem alio deducere, quo major exsistat Heusdii notitia. Itaque hunc de ipso *Doctore* locum una concludam, quae mihi dicta perpendenti in mentem venit, animadversione. Quemadmodum non id egi, ut perfectum doctorem lectoribus proponerem, ita de Heusdio ne sic statuere videar, eum neque ad quidquam eorum, quae docendo plurimum promovit, ullius contentionibus adjutum fuisse, neque ullos reperisse eodem, etsi alia interdum via, tendentes populares. Fieri potest, ut, si qui superiora omnia accurate legerint, hanc non requiri putent animadversionem. Sed sinant, quaeso, me evidentius eloqui, quae sentio. Nam illa opinionis

perversitate nemini, certo scio, vehementius, quam ipsi Heusdio, displicerem. Unus omnium maxime studium philosophiae Socraticae et Platonicae juventuti commendavit et provexit; hoc nimirum, fontibus nitens, apteque institutum, maximi ad eam rite excolendam judicabat momenti. Aditum ad Platonem quis nostratium pluribus stravit? Quis plures huic philosopho eo devinxit amore, in quo veri certe studium haud desideres? Quis, ne de scriptis dicam, exemplo et institutione efficacius ostendit, hinc, in maximis etiam et praeclarissimis posterioris aevi progressibus, fructus capi posse egregios? Attamen, quum ante hos sedecim annos Creuzero scriberet, — se Amstelodamum veniente, miratum esse Wyttenbachium, adire ipsum adolescentem Platonis legendi studiosum; nunc autem in Academiis nostris et Athenaeis non tantum lectiones haberi Platonicas, frequentes discentium numero, sed jungere etiam sua sponte juvenes sodalitia, in quibus Platonem legant secum invicem et interpretentur:— haec igitur ille scribens, ea addidit, unde pateat, ipsum sibi auctorem horum visum esse nec solum nec primum. Nam et condiscipulos suos memoravit et « studium — inquit — philosophiae Socraticae, studium Platonis et Ciceronis, studium in primis historiae philosophicae, qui hoc *excitaret*, unus repertus est Wyttenbachius.» [1]) Hic vero nonne vim item habuit ad summum literarum juventuti tradendarum consilium efficacius commendandum. Qua de re quid Lennepio videretur, qualemque ille locum Heusdio tribueret, multi virum Clar. audiverunt alteris Athenaei Amstelodamensis Saeculari-

---

1) *Epist. ad Creuz.* p. 41.

bus his declarantem humanissimis verbis. «Omnino, ex quo juvenes Batavos Wyttenbachius instituit, magis haec in nostris Academiis ac Lyceis apud literarum doctores vulgo sententia invaluit, profitentibus hanc passim admirabilis viri discipulis, esse studia literarum ad virtutem dirigenda omnia, quod ut fiat, hos potissimum adolescentiae commendandos esse libros, quorum maxime lepor alliciat, honestas capiat, veritas detineat; quibus dotibus quum Graeca scripta vel e Graeco fonte derivata praesertim abundent, horum etiam praecipuam in scholis habendam esse rationem: quam sententiam profitentibus et cum laude tuentibus, ut dixi, scholae Wyttenbachianae discipulis compluribus, unus tamen praeter caeteros eximie de magistri mente expressam scriptis prodidit, scholis retulit, institutionis fructu comprobavit, quem virum omni laude dignissimum, Athenaei nostri quondam alumnum, Crassi et Wyttenbachii discipulum, quominus pluribus hîc laudem, quamvis me animus impellat, praesentis modestia atque pudor vetant. Omnes, quem designem, intelligunt.» [1]) Suum igitur ducem, suos comites Heusdius in docendo habuit. Quod reticere tam ineptum esset, quam negare, eum ex aequalium scriptis ad disciplinas suas recte tradendas profecisse. In ipsa illa Humanitatis historia, quam primus in patria nostra tradidit, cujusque et ubertatem per omnem diffudit disciplinam suam et summum aliis item disciplinis momentum patefecit, non defuerunt, qui eum investigantem in viam ducerent. Atque hoc ei commune cum excellentissimo quoque doctore

---

1) Lennepii *Orat. Saec.* d. 10 m. Jan. a. 1832 habita, p. 22.

fuit, ut plurimum, non omnia, sibimet ipsi deberet, sed multorum et scientia et sapientia se pascendum curarit; unde eo quidem modo *suus* exstitit, quo modo plurimum prodesset plurimis, prodesset doctrina, sed pariter Socratica illa, ad nostram aetatem egregie adaptata, institutione. 1)

Jam proferamus contemplationis fines, quemque adhuc doctorem spectavimus, eumdem variorum spectemus operum scriptorem. Videmur mihi quodammodo praeparati huc accedere. Et, ni me omnia fallunt, tam priore contemplatione juvabimur in posteriore, quam hinc multum lucis illuc transferetur. Sed erunt, qui mirentur, nunc demum huc veniri. Quod quis singulis vitae suae annis egit, hoc omne, ad suum quidque annum relatum, eodem in loco adspicere volunt. Sit hoc perdulce. Verum, si vel per annos digestam nobis contemplandam sumsissemus Heusdii vitam, hae ipsis deliciae hîc satis parari non potuerant. Majora enim viri opera eo tempore posteriora sunt, quo ad suam ille in docendo maturitatem pervenerat. Quamobrem ne tum quidem a doctore nisi perraro oculos avertissemus. Ante annum 1827 Heusdius pauca edidit scripta, eaque breviora et cum aliqua ipsius munerum opportunitate conjuncta, neque tamen aut ab ipso non libenter composita, aut talia, ut non vehementer optaretur, ne in docendo et opinionibus per discipulorum praecipue commentationes divulgandis acquiesceret. Sunt autem hi libelli genere diversi, numero tres. Nam oratio *de vi*

---

1) Cff. cum hisce egregie dicta in *Br. over H. Ond.* p. 305.

et efficacia, quam ad excolendas recentiores gentes antiquae habuerint literae, die 8 m. Aprilis a. 1807 ab Heusdio, magistratum Academicum deponente Saxiique, ipso Rectore, defuncti memoriam celebrante pronuntiata, typis non descripta est. In hac autem major verborum sententiarumque simplicitas, quam in eleganti variaeque eruditionis plena oratione inaugurali. Ultimam fortasse limam desideres, sed nihil etiam est quaesiti, nulla, quam depastam velis, disserendi luxuries, multum vero, quo erutam e dictatis confirmes suspicionem, Heusdium tunc, ad meliora tendentem, nondum tamen interiore valuisse medii aevi et gentium Germanicarum cognitione, defuisseque ei adhuc primariarum et altissime latentium causarum investigationem. Nam tempora illud continere dicitur barbariei et atrae caliginis, non vero pariter lentae, ex ipsis populis explicitae Christianaque praesertim religione provectae, progressionis: [1]) rejicitur quidem eorum sententia, qui ab unis literis antiquis omnem repetant emendationem, hujusque primariae causae alte latere censentur in gentium historia; sed hoc nomine veniunt tum expeditiones sacrae, quibus Europa multis tyrannis liberata sit, tum mercaturae incrementa, quibus inferior gentium pars ad quamdam evecta sit auctoritatem: ita factum contenditur, ut potentiores deprimerentur, inferiores attolle-

1) Non latet, ne hodie quidem ab omnibus historicis sic statui de progressione illa, aliis alia potissimum ad eam explicandam urgentibus. Quae afferens Waitzius, ipse merito scribit, «es ist wahr, es lag eine grosze, verjüngende, fruchttreibende Kraft in dem Samen des göttlichen Wortes: aber er bedurfte eines reinen, frischen Bodens um sich zur reichen Saat zu entwickeln.» *Gött. Gel. Anz.* a. 1841 p. 774 sqq.

rentur, inter utrosque leges intercederent, quibus mutuo ad societatis ordinem temperarentur: quo postquam accessissent gentes, tum literas adhibitas fuisse, tamquam instrumentum, quo res fere omnes corrigerentur.— Ab his quam diversa sunt quamque sanius de medii aevi temporibus judicium produnt paucissima illa, quae leguntur in *Diatribe in Civitates Antiquas?* 1)

Hoc primum erat trium, quae dicebam, Heusdii opusculorum, anno scriptum 1817, insertumque dein commentationibus Latinis tertiae Classis *Instituti Regii Neerlandici*, cui ille a condita fere hac Societate adscriptus istiusmodi observantiae documentum se debere judicabat. Argumentum autem eo spectabat, «ut germana politicae antiquae principia exquirerentur, in primisque locus, qui est de tyrannide, gravissimus ille, necdum satis, ut ipsi videbatur, expletus, elaboraretur.» 2) Et hanc legentibus Diatriben patet continuo, scriptorem non eum esse, qui quasvis recentioris aetatis opiniones priscis obtruderet temporibus, sed facultate eum valere insinuandi sese in antiquum aevum hujusque assequendi simplicitatem. Hinc initia societatis civilis perspicue eruuntur. In sacra traducimur gentium tempora, quae aetatem politicam praecesserunt: quomodoque rudiores homines, per tribus et familias dispersi viventes, sensim communibus sacris festisque conjungi coepti sint et hinc, explicantibus sese eorum animis, firmior paulatim exstiterit civilis societatis conjunctio,

---

1) P. 26 seq.

2) *Charact. princ. phil. vet.* p. 3.

uberrimâ declaratur, Homericis etiam locis exhilaratâ et illustratâ, disputatione. Tum eodem studio nihil alieni prisco aevo assuendi, in veterum civitatum naturam inquiritur, eaque ut ipsis contineri ostenditur civium concionibus tum sacris festo quoque tempore tum civilibus et populi universi et patrum, ita principium, unde omnia repetas, in eo ponitur, quod respublicae illae *κοινωνίαι* essent, communibus sacris legibusque conjunctae, e communionis societatisque studiis ortae iisdemque vigentes et florentes. Inde porro quaestiones politicae ducuntur de earumdem civitatum vigore et lapsu. Atque hîc uberrima est gravissimarum animadversionum copia, quibus de momento *civitatis* agitur, ad quam omnia apud veteres referrentur, ignota fere *humanitate* ea, qua *hominem* venerentur in hominibus recentiores: porro de studiis exponitur aequalitatis: de vi legum ad conjungendos cives: de sensu honoris alio in rebuspublicis illis, alio in gentibus Orientalibus: de flore civitatum cum civium moribus proxime conjuncto: de optima civitatis conditione ea habita, quae conjunctionis aequalitatisque studiis maxime conveniret, suum quidem pro re publica agente unoquoque, non uno omnia: de altercationibus civium, ex aequalitatis cupidine ortis, prudenter dijudicandis probeque a factionum peste distinguendis, quibus omnis rei publicae amor partium studio cederet atque conjunctionis et aequalitatis naturae repugnarent omnia: de his igitur, aliisque multis ita exponitur, ut tandem antiquarum civitatum interitum, et vero peculiarem in iis tyrannidis rationem odiumque *ἐσχάτου* illius *πολιτείας νόσου* haud aegre assequare. — Dissentias licet in nonnullis, et facile est e variis, his viginti quatuor annis conscriptis,

operibus ea promere, quae Heusdii opinionibus opponas. Sed perspicuitatem disputationis, sagacitatem ex suis quaeque principiis eruendi et suo quidque loco in gentium historia ponendi, animadversionum historicarum acumen atque gravitatem, exemplum Platonis magno cum compendio veteris recentiorisque historiae studio adhibiti, haec non possumus non laudare. Tum vero iis, qui fastidiunt libellum auctoritatibus onustum, sobrietas placebit locorum scriptorumque ad dicta fulcienda allatorum. Qua in re numquam Heusdius vetus illud neglexit μηδὲν ἄγαν.

Recens a *Diatribe in Civitates Antiquas* scripsit ille orationem de *pulcri amore*, eâque, die 2 m. Aprilis a. 1818, magistratu Academico iterum abiit. Continuo agnoscitur Heusdius e lege, quam sibi hoc in argumento tractando scripserat, ut nihil proferret, nisi ex ipso petitum hominis ingenio, quod autem proferret, ad excolendam maxime spectaret vereque erudiendam juventutem. Inesse ait in natura humana pulcri studium, quod quemadmodum in pueris jam rudibusque populis conspicuum sit, et progrediente aetate explicetur, generosiore omnino forma prodeat pulcrumque anquirat morale, et ipsâ generis humani adolescentiâ, florente Graecorum aevo, praeclarissima pepererit artium literarumque monumenta, philosophiam pepererit elegantissimis simul et verissimis placitis sese commendantem, venuste deinceps adumbrat. Hoc naturale studium, nec progressionem nec perfectionem respuens, diligentissime cunctis attendendum esse ostendit, hominem cognoscere et res humani generis intelligere cupientibus, ne in opportunitatibus subsistatur, quales necessitas et utilitas praebeant, causa vero optimarum

rerum lateat, in ipso posita hominis ingenio: ipsam enim generis nostri ad cultum et humanitatem progressionem ex eodem studio duci illustrarique posse. Haec, Socraticae Platonicaeque philosophiae ubertate ornata, eo jam refert, quo tetendit ab initio. Homine enim ea conditione nato, ut vivendi agendique tam sublimi moveatur principio, nihil antiquius habendum esse judicat, quam ut nativum hoc desiderium in juventute ne hebescat iisve se applicet, quae naturalem pulcritudinem minime referunt, sed justa institutione proliciatur, expurgetur, acuatur. Cujusmodi quidem institutionis et fonte indicato Graecorum monumentis, verae quippe pulcritudinis exemplaribus, et vi ostensa sanequam egregia, haec tandem affirmat orator. «In artibus omnibus et doctrinis qui excellerent, semper fuere pauci. Sed pauci illi, sic instituti, et hac institutione facultates suas omnes facile pleneque explicantes, justo demum nomine excellere dicentur. Docti aliquando erunt, sed simul eruditi: acres ingenio, sed simul animo candidi: mirabiles acumine et judicio, sed amabiles simul in vitae consuetudine: et, quod in primis amamus, magni viri, sed omnium simul mortalium ingenio animoque simplicissimi.» [1]) Multos, hac lecta oratione, contendisse animadverti, «Heusdium, qui de pulcri amore ita disseruisset, omnem pulcritudinem animo et studiis esse complexum, omnemque ejus amorem perceptum et cognitum habere.» [2])

Ab utroque opusculo lingua etiam differt tertius li-

---

1) P. 27. Exstat oratio in *Ann. Acad. Traj.* anni 1817—1818.

2) Vid. etiam C(ras?) *in Alg. K. en Letterb.* a. 1819 D. I, p. 441.

bellus, jam mihi memorandus. Die 29 m. Junii a. 1821 Heusdius, Societatis *Artium et Scientiarum Trajectinae* eo tempore Praeses, ad sodales de iis, quae proximo anno Societati secunda adversaque evenissent, patrio sermone referre debebat. Obierat sodalis praestantissimus Cornelius Guilielmus De Rhoer. Hunc variae accurataeque doctrinae virum Heusdius, sedecim annorum consuetudine, talem noverat, quales haud persaepe reperiuntur, magis esse se, quam videri, bonum cupientem. Multum ab eo, sicut animadvertimus, [1]) in studiis praesertim historicis, deliciis utriusque, profecerat, coluerat eum eique *carus* ipse fuerat. [2]) Itaque dicendi provinciam nactus, non obiter de Rhoerio agere, sed memoriam ejus datâ operâ et ita quidem commendare decrevit, ut illum quum ab ingenio moribusque tum in primis in historiae universae studio spectandum praeberet. [3]) Et hoc quin ipsi bene cesserit, nullum est dubium. Libellus non est laudatio, quam vocant: cujusmodi scriptionis genus nec Heusdius probabat et pauciores merito in dies probare videntur: sed jucundissima est et ex accurata rerum hominumque cognitione expressa pietatis narratio; notatio est, cui sponte fidem habemus: adeo nulla sunt amici exornandi, sed manifesta veri proferendi indicia. Quis Rhoerius fuerit non uberius narratur, quam quis non fuerit: de virtutibus ejus certiores fimus, non reticentur errores: et tempori, quo ille floruit, et privae ejus cogitandi agendique rationi an-

---

1) P. 52.

2) Vid. opusc. mox laudandi p. 76.

3) Titulus est *Cornelis Willem De Rhoer gekenschetst: bijzonder als Geschiedkundige.*

nectuntur singula: discernendi omnino et conjungendi via proceditur, ut, lecta descriptione, Rhoerium non modo magnum virum suspiciamus, sed ab aliis magnis viris quid differret ille, nobis perspicere videamur. Imo vero, si cui memori eorum, quae supra de Heusdio historiae doctore in medium sunt prolata, indagare placet, quo potissimum nomine hic ab illo in studiis historicis differret, non dubito, quin, eodem libello duce, continuo perspecturus sit utriusque, in multis admodum consentientis, discrimen. Hoc autem in eo praecipue positum fuisse puto, ut alter diligentissimus fuerit hominum nullius non loci atque temporis observator et hinc profecerit ad gentium historiam rite explorandam, alter vero neque illam neglexerit observationem et huic interius etiam explorandae insuper adhibuerit humanitatis in genere humano investigationem. Nil attinet honorificam referre Trajectinae Societatis de illo sermone sententiam; 1) cui quidem, quomodo Heusdius in hoc difficili versaretur hominum depingendorum negotio, anno 1829 iterum apparuit, audienti quippe ipsum die 26 m. Junii sodalem celebrantem desideratissimum, Guilielmum Henricum De Beaufort, *πᾶν ἐπ' ἀλαθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος.* 2)

---

1) Uno tamen apponendo gratum faciam compluribus. Est versiculus, ex tempore fusus, sed a Vosmaerio, praestantissimo, dum in vivis erat, medicinae Professore Trajectino et scriptore nostratibus sanequam noto et dilecto:

Men zegt, dat toen De Rhoer
Zoo stil ten hemel voer,
Zijn mond dit woord gesproken heeft:
« *Ik sterf niet, want Van Heusde leeft.*»

2) Hoc est Symbolum libelli *Herinneringen aan Willem Hendrik*

Atque haec tria sunt, quae supra indicabam, opuscula. Quibus, utut suis singula laudibus conspicua dicantur, si tamen nihil praeterea accessisset, haud futurum fuisse opinor, ut in scriptorum ille numerum referretur. Sed duodecim postremis vitae suae annis multa Heusdius edidit majorisque longe amplitudinis opera, et, si fata sivissent, plura etiam editurus fuisset. Qua de re equidem saepe cogitans, in eas sponte incidi quaestiones, quas aliis quoque in mentem venisse arbitror. Mirari enim subit, cur Heusdius adeo sero in hanc scriptorum scenam prodierit, et, postquam prodierat, illam nec reliquerit fere, neque eas illic egerit partes, quas, a Wyttenbachio inde, multorum voce ei destinatas fuisse constat. Namque hic in Epistola ad discipulum *Specimini Critico* praemissa, [1]) in Bibliotheca Critica, [2]) in literis ad doctos exteros datis, [3]) futurum eum indicavit Platonis editorem atque sospitatorem. Et tamen ne in unum quidem Platonis dialogum Heusdianis utimur, qui vulgo dicuntur, commentariis. Intelligo quaestionum vim et gravitatem, quarum justa explicatio maximi ad opera illa recte dijudicanda pleniusque ipsum scriptorem cognoscendum foret momenti. Sed requiritur interior disquisitio, et res est paulo altius repetenda, ut inveniamus, si minus certissima, at veri similia.

De Beaufort. Utraque autem scriptio a. 1830 conjunctim prodiit hoc titulo, *Ter nagedachtenis van C. W. De Rhoer en W. H. De Beaufort*, door Ph. W. Van Heusde.

1) P. XXXIII.

2) III, 3, 73.

3) *Epist. a Mahnio ed. Fasc.* I, 22 et 59. Cf. Mahne in *vita Wytt.* p. 174.

Igitur, ut illinc ordiar, unde et aliorum in Heusdii vita complurium et vero scriptorum ejus intelligentia multum pendet, singulari ille amore prosecutus est Platonem. Hujus amoris initia incidere meminimus in tempus adolescentiae Roterodamense; eumque, Nodellii sermone excitatum, credibile est primum nutritum fuisse eximiis orationis Platonicae virtutibus [1]) grataque adolescenti *φιλοκάλῳ* et *φιλοποιητῇ* poëticae facultatis in hoc scriptore praestantia. Qui devoraverat poëtas, haec Nodelli verba: «Platonem sublimem philosophum esse, sublimem pariter poëtam» memori pectore recondebat. [2]) Hinc ipse in sodalium Amstelodamensium coetu vim duxit admirabilem, quam prima in eo habuerat Platonicae de ideis sententiae notitia. Nam «hanc — ajebat — qui expositam legit in Phaedro, in Symposio, in quinto et proximis de Republica libris neque ab auctoris dicendi cogitandique ratione alienus est, is fateatur necesse est, talem invenire, explicare, ornare sententiam, nisi poëtam, posse neminem: atque equidem — pergebat — saepe redeo in vesperae istius memoriam, qua initium septimi de Republica libri primum legebam. Dicamne, amici, qui animi mei sensus fuerit, an memori recondam pectore? Fateor ingenue, me quidem eo tempore et sententiarum gravitate et cogitandi sublimitate et orationis flumine ita commotum fuisse atque exarsisse, ut hominis praestantiam existimarem talem, qualem Dei existimassem antea: ut Deum in memet ipso sentirem, nec cogitarem quidquam humanum. Scilicet quae animum ita commoveat

1) Vid. praef. *Spec. Crit.* p. IX.
2) *Epist. ad Creuz.* p. 3. Supra p. 14.

vis, neque ex grandium verborum quasi intonatione, neque vero ex argumentandi subtilitate, sed nimirum una efficitur illa poëtica fingendi facultate; et haec quidem si Platoni defuisset, certe istam idearum doctrinam neque cogitasset, neque invenisset.» [1]) Verumtamen, quae illum Platonis amorem magis etiam alerent et vero firmarent, jam Amstelodami accesserint necesse est. Nihil quidquam lectoribus obtrudam. Ipsi judicent e juvenis verbis. Ad Wyttenbachium, Leidam profectum, Athenaei alumnus scribebat. « Divinus ille philosophus quo valeat ingenio, doctrina, accurata naturae humanae notitia, idemque quantopere conducat ad cognoscendam humanitatis, sinceraeque elegantiae vim, magis magisque perspicio et admiror, neque ullus temere dies praeterit, quin Platonem mihi legendum sumam et meditandum, a qua lectione me saepius doctiorem non tantum, sed meliorem quoque abire memini.» Ad amicum autem, quem Platoni conciliasse videtur, haec erant ejusdem verba. « In Platonis lectione, qua egomet huc usque fructus sum, eadem fruare delectatione, atque ex hoc posteriorum philosophorum fonte eam percipias veram sapientiam, quam equidem, monente Wyttenbachio, ex uno esse hauriendam Platone suspicari coepi. Et vero hoc affirmare ac posito pignore contendere non vereor, quemcumque, quo magis Platonem legat et legat eo, quo decet, studio, id est, ad ingenii cultum, scientiae incrementum et vero ad humanitatem morumque integritatem, eo certius pleniusque adeptu-

---

1) In disquisitione de quaestione *num qui philosophus est, idem esse poëta possit*, lecta Amstelodami in sodalitio *Literarum studia amicitiae vinculum* die 9 m. Junii a. 1800.

rum esse, quod in rebus humanis maximum et est et habetur, nimirum, veram ingenii animique magnitudinem atque erga omnes omnino homines totumque genus humanum benevolentiam et comitatem.» In his nonne sunt, unde amoris non dico ardorem efficias, sed constantiam exspectes, in primis saeculi cogitans superioris finem, quo, in tenuitate studii Platonici, talia verba nihil habere tralatitii poterant? Nonne cernere in his Platonis lectitandi causis initia quaedam eorum est, quorum illum postea interpretem atque praeconem nacti sumus diligentissimum? Quamquam videre volenti, certius eadem apparent in *Specimine Critico.* Hoc *παράδοξον* videtur. Conjecturarum et emendationum libro quid commune cum posterioribus Heusdii operibus? Verum et criticas illas copias recte dijudicemus et memorabilem *Speciminis* Praefationem, quae neglecta interdum est, ne obliviscamur. Postquam adolescens, Nodellio et in primis Wyttenbachio ducibus, grammaticae interpretationis vim et necessitatem animadvertere coeperat, praeclaro hoc intelligentiae instrumento non potuit non libentissime diligentissimeque in eo uti scriptore, cujus amore flagrabat.[1]) Et quum hac legendi diligentia ad varias proficeret variorum locorum difficultates cognoscendas, brevi tum cupidissime appetere, quidquid ad emendandum Platonem excogitassent eruditi, tum ipse nonnumquam conjecturam tentare coepit, tamque moleste afficiebatur mendis eximia bene dicendi exempla contaminantibus, quam perfundebatur gaudio, si quid vel aliorum diligentia emendatum vel

---

1) Praef. *Spec. Crit. in Plat.* p. X.

sua conjectura illustratum existimaret. [1]) Sic sensim *sibi* colligebat emendationum apparatum, quem aliquando in publicam notitiam perferre interea haud cogitabat. Ut tandem cogitaret, honorifica fecit Leidensium Curatorum in studiis ejus praesertim Platonicis adjuvandis munificentia, cui quid, decursis spatiis Academicis, gratius aptiusque reponeret quam progressuum specimen, in eo occupatum et scriptore et scriptoris illustrandi genere, quod accepti beneficii naturae proxime conveniret? Itaque animadversiones illas, denuo examinatas, partim edidit, haud neglecto Ruhnkeniano, id est, eo interpretationis apparatu, quem ut Leidam migraturus ille *potissimum* laboribus suis complecteretur, diserte exoptaverant Curatores. [2]) Atque haec probe tenenda sunt, ne Heusdium, quem vel nullo Curatorum favore ornatum aliquod progressuum specimen editurum fuisse largior, perperam tamen existimemus illud de industria elaborasse et publici juris fecisse, quod ipse eo tempore summum in studio Platonis praecipueque spectandum judicaverit. Hoc tam verum esset, quam vera esset opinio idem suspicantis e variis ejus posteriorum annorum in Platonem conjecturis, aut ex insigni voluptate, quam scriptor *Initiorum philosophiae Platonicae* et *Scholae Socraticae* e locis diligentiore interpretatione aut emendatione a se expeditis percipere solebat. Contra significavit ipse, hujusmodi, quale editurus erat, opusculo aditum tantummodo eorum, quae summa censeret, percipiendorum patefieri. [3]) Sed ejus-

1) Praef. p. XII.
2) Eod. p. XIII et supra p. 28.
3) Eod. p. XXIV.

dem *Speciminis* adeamus Praefationem. Quoad enim fieri possit, nullum hîc dubitationi locum superesse oportet. Quum igitur de grammatica Platonis legendi ratione deque necessitate in ipsius scriptoris ejusque aequalium interiorem indolem et quasi naturam penitus se insinuandi verissime praecepit, ac monuit etiam, in quibus nimiam interdum Graecae gentis admirationem agnoscas; fructus affert interioris hujusmodi studii diversos, quorum unum, huc vel maxime facientem, age attendamus. Suspicatur nimirum, «ad nonnullarum doctrinarum vel fundamenta jacienda firmiora vel rationem instituendam accuratiorem vel vim perspiciendam interius, ex antiquorum etiamnunc placitis profici posse; quin etiam, eadem illa placita vias fortasse inquirentibus et monstratura et patefactura, quae, adhuc ignotae, ex hac dubitandi quasi fluctuatione ad certius aliquod de rebus gravissimis judicium perducant. Quod — pergit — suspicati si Platonem intuemur, in tantis illum viris sua insignem elucentemque virtute, quanto haec omnia uberiora etiam atque illustriora ex eo percipienda arbitremur! — Illud monendum, hanc tantam rem, si a quopiam homine, ab eo posse uno perfici, qui, usus ea quam commendamus legendi ratione, in Platonis et tempora et ingenium quasi totum se transtulerit et insinuaverit: *eumdem vero illum, si cum summa divinare probabilitate liceat, e divini ingenii cogitationibus, nisi placita decerpturum, quae, tamquam maturos fructus, in communem continuo usum conferat, certe placitorum initia et quasi semina suscepturum, quae ad nostrorum temporum velut temperiem exculta, uberrimos aliquando fructus generi*

humano largiantur.» [1]) Quodsi cum his verbis ea conferimus, quae a. 1831 scripta ab Heusdio sunt *Scholae Socraticae* initio: [2]) «*triginta fere sunt anni quum primum animo praesentiebam atque sperabam fore, ut Platonico in primis Socraticae philosophiae studio serius ocius Ciceronis de artium doctrinarumque conjunctione sententiam et veram encyclopaediae naturam intelligerem*» utrumque igitur locum comparantes videmus continuo, illam praesensionem et spem sub ipsum prope affulsisse elaborati *Speciminis Critici* tempus. Hinc lucem verba capiunt modo adscripta et vel ideo abest multum, ut Heusdius in posterioribus scriptis aliam prodat studiorum rationem, atque juvenis sequi cupiebat, verum assequi nondum poterat. In eadem Praefatione hoc ingenue fatetur de sese. Voluntatem maxima quaeque consequendi illic cernas facultate superiorem, sed juvenem sibi videri dicas velut in cursu esse ad haec aliquando sibi comparanda. [3]) Et illud quidem sentire atque exspectare, ducem huncce eo monstraturum, quo accedere ipse niteretur, quis definiat quam arcte eum conciliaverit Platoni? Omnia autem sic comparata esse opinor, ut, si hic juvenis se haud accingat ad Platonem aliquando edendum, saltem non fore videatur quod miremur. — At contra censuit Wyttenbachius. — Verum recordamur, opus commendante illo,

---

1) Praef. p. XXI seq.

2) I, 16. Quod annum posui 1831, etiamsi primum hujus operis volumen prodierit a. 1834, recte sese habet. Nam et Praefationi adscriptus est m. Junius a. 1831, et scriptor p. 17 de aetatis suae anno loquitur quinquagesimo tertio, qui in eumdem incidebat annum.

3) P. XXII seq.

Heusdium se statim parum aptum ad id suscipiendum existimasse. [1]) Ac praeterea Wyttenbachii auctoritate, utut gravi, nos tamen ea in re haud coerceri oportet, in qua plus nobis, quam illi licuit, videre contingit. Alia mitto, hoc memoro: qui omnem alicujus vitam cognorunt, hos, ea ipsa posteriorum annorum luce facillime interdum detegere, quorum momenta unius juventutis florentisque aetatis testibus non omnino perspicua fuerant. Sed instas et urges. Fertur enim Heusdius interdum hujus saltem illiusve dialogi Platonici editionem meditatus esse. Fateor, eum de Symposio et Phaedro edendo aliquamdiu cogitasse. Verum attendenti mihi formam editionis Phaedri, quam sibi a. 1818 designavit, nequaquam dubium est cur consilio destiterit. Nam praeter commentarium, nullis oneratum posteriorum scriptorum, ne Ciceronis quidem, testimoniis, philosophumque ex antiquioribus et in primis ex se ipso illustrantem, quo Platonicae rationis et orationis aditus patefieret, alia multa animo agitabat; tamque amplae disputationis argumenta attingere, ita de hujus philosophiae forma disserere et omnino inducere in ipsam hac opportunitate lectores volebat, ut non posset non perspicere, se ampliora spectare quam quae angustis editionis finibus continerentur. Scilicet aliud agens, elementa adumbrabat *Initiorum philosophiae Platonicae.*

Magnorum virorum in suis studiis progressus persequi summae tum voluptatis est tum utilitatis. Sui quando non sunt ignari, carere eos cernimus levitate putantium, omnia se posse quae velint: contra ubi hos

---

1) Vid. supra p. 35.

videmus desultores studiorum, illos potius velle animadvertimus quae aliquando possint. Poterunt autem ardua, quo igitur constanter respiciunt, quo toto se animo omnique cogitatione convertunt, quo ut accedant tandem, summa virium intentione nituntur. Nulla est festinatio divulgandi, quae jam excogitarunt. Sat cito, ajunt, si sat bene, dum succo undique ducendo intenti, aluntur perpetuo ad magnam exquisitorum fructuum copiam ferendam. 1)

Heusdium in ea sententia fuisse constat, ut ante quadragesimum aetatis annum nihil, sponte quidem sua, a se edendum judicaret. Hanc sententiam, invalescente magnorum conatuum conscientia identidem roboratam, tam firme tenuit, ut nono demum supra quadragesimum aetatis anno in publicum scriptor prodiret. Eo usque multiplicis προπαιδείας tempus fuerat, quo eum, ab initio inde vitae Trajectinae, summa omnino diligentia et constantia in studiis privatis versatum esse, schedae probant manu scriptae. Multum enim legere et vero meditando in omnes partes perpendere, perpensa autem, quo plenius animo comprehenderet, ordine scripto mandare, ei in deliciis erat. Et has schedas pervolutantem non latet, unum prae ceteris argumentum fuisse, cujus penitus cognoscendi gratia innumeras institueret historicas et philosophas

---

1) «Duitschers... denkt aan uwen Rijn: het beeld van gestadig vorderen, het voorbeeld van het *lente festinare*, het bewijs, dat men zonder van elders aantenemen, niet zelfgenoegzaam wordt. — Men hoort velen zich beklagen van te vroeg in de maatschappij eene rol gespeeld, te vroeg geschreven te hebben; maar hebt gij nog wel iemand er berouw van zien hebben, dit te laat te hebben begonnen ?» Van Heusde *Br. over H. Ond.* p. 305.

disquisitiones. Erat illud, ut e superioribus facile assequimur, *homo.* Mature, quemadmodum vidimus, in Platone ei arriserat naturae humanae notitia, et magno sane bono Trajecti historiam docendi munus, id est, eam continuo nactus erat provinciam, quae egregias praeberet hominis contemplandi opportunitates. Mox discipulis indicabat, se veram philosophiam in cognitione hominis positam existimare. 1) Sed cavendum nihilo minus, ne Heusdio, hominem consideranti, nimis faciles celeresve progressus tribuamus. Non ultro et tamquam pellente boni ingenii egregiaeque educationis vi ad eam accessit cogitationum altitudinem et evidentiam, quam postea in eo agnovimus. Constantissime liberrimeque inquirebat, nullis ante susceptarum opinionum vinculis se coerceri patiebatur, externam adeo hominis conditionem magis spectabat et pluris ducebat, quam e posterioribus ejus scriptis suspicemur. 2) Phantasiae etiam vi abreptus in eas nonnumquam incidebat opiniones, quarum levitatem postea candide fatebatur, omninoque illud *ardua quae pulcra* tam Heusdius, quam qui maxime, expertus est. Verum idcirco, superatis difficultatibus, eo arctius iis devinctus erat, qui ipsi anquirenti et enitenti viam monstraverant.

Horum autem princeps in primis exstitit Plato, cujus quidem ad eum excolendum vis ut ubique apparet, ita in eo, quod hîc volumus, potissimum animadvertenda venit. Hunc enim quo diligentius non tantum, sed quo paratior in primis a populorum cognitione et hominis atque

---

1) Vid. supra p. 50.

2) Facile mihi credent lectores, coll. *Scholae Socrat.* III prooemio p. 6.

generosorum juvenum observatione dein legebat, eo plenius paulatim Socraticas philosophi perspiciebat de naturae humanae studiis et facultatibus disquisitiones. Quaecumque iis de insito mortalibus pulcri bonique studio et veri amore continentur aptissimeque ad vim hominis internam, internum omnino sensum cognoscendum proferuntur; quaecumque justum hominis per artes ac disciplinas institutionem spectant, aequabilem porro commendant omnium facultatum curam, eamque ita adhibendam, ut igniculi intus latentes inde suscitentur et semet ipsos alere incipiant; quaecumque philosophiam non placitorum complexum, sed artium doctrinarumque parentem, imo ad sapientiam ducem conspiciendam praebent, cognitionem sui urgent, erigunt ad perfecti amorem quaeque cum Deo nobis intercedat, similitudinem appetendam: haec igitur magis magisque Heusdium alliciebant et tenebant.

Atque huc progressus non poterat non plenius alterum intelligere, a Nodelliano tempore cognitum, philosophum; Fr. Hemsterhusium dico, cujus nomen sic ipsum cum Platonis nomine junxisse recordamur, ut dubitaret aliquando, utri ad alterius plus deberet intelligentiam.[1] Quam dubitationem haud aegre assequimur. Quis enim eo tempore Platonis mentem plenius perspexerat magisque ad ejus rationem suum ipse ingenium conformaverat, quam Hemsterhusius? Cujus opuscula, in pari subtilitatis et Socraticae nativae venustatis laude, eam lectori opinionem afferre scribit Wyttenbachius, ut ipsum Platonem Francice disserentem sibi audire vi-

1) Vid. supra p. 11.

deatur.[1]) Nam sua sint utrique propria, quibus quum in forma scribendi tum in sententiis a Graeco philosopho Batavum saepe distinguas: haec tamen ipsa scribendi ratio, et philosophiae ex ipso homine ducendae ad eumdemque referendae studium, et diligens sensus interni contemplatio, et partes amori tributae, et gravitas disquisitionum de pulcro, vero, justo, et facultatum aequabiliter exserendarum commendatio, et omnino philosophiae Hemsterhusianae quum fundamentum, animi humani cognitio, tum propositum, hominis perfectio ac felicitas: haec quidem omnia crebro Platonem lectoribus in mentem revocant, et, quemadmodum ita maxime intelligi videntur, ut maxime Socraticam Platonicamque philosophiam percepimus, sic vicissim ad hujus vim omnem et ubertatem plenissime assequendam plurimum valent. His autem analyticam philosophandi viam addi oportet, cujus sedula in utroque animadversio non solum mutuam utrique lucem affert, sed Heusdio praesertim gravissima videbatur, mature quippe suspicanti illa potissimum via procedendum esse, ut philosophiae amplitudo et summum homini momentum agnoscerentur. Jam a. 1811 haec ei suspicio erat et analyticae philosophiae studiosos systematum auctoribus longe anteponebat, deque sequendo egregiorum physicorum exemplo in homine ubicumque terrarum et seculorum observando ea tunc suspicabatur, quae a. 1836 diserte scripsit [2]) et operibus ipse suis exprimere studuit.

Verum Platonem principem eorum dixi, qui Heusdio

---

1) *Opusc.* I, 577.
2) *Init. phil. Plat.* III, 255.

eximie profuerunt. Nam ipsi ubivis hominem consideranti et magis magisque naturam illam exploranti moralem, progressionis indigentem eique parem, haud poterat leve sui studium injicere religio Christiana; quo praeterea philosophae ducebant de historia universa disquisitiones, tam vestigia indicantes variae ad eam praeparationis, quam vim ejus patefacientes in recentiorum populorum vita prorsus singularem.

A puero Heusdius religionis nostrae elementa perceperat, eaque prudenti optimorum parentum cura sic in mentem penetraverant, ut, quidquid saluberrimum habent, id inde vix evelli potuisset. Quin patris narrationes eum praeparasse ad aliquam de religionis hujusce indole sive suspicionem sive praesensionem meminimus. [1]) Attamen neque hanc sequentium annorum studia multum firmaverant [2]), et aliud profecto est vitam ad certam, unicuique velut in medio positam, Euangelii normam dirigere ac Summum Dei Numen pie venerari, aliud in interiorem Euangelii naturam sese insinuare, vim ejus omnem et sublimem amoris atque veritatis consensum perspicere ac persentire, in verae philosophiae inquirere cum vera religione necessitudinem. Huc vide quomodo tetenderit Heusdius. Quotquot aliquando legerat scriptores rei Christianae propter ignorantiam adversarios, numquam se ab iis adeo abripi passus erat, ut ad alteram quoque partem audiendam ineptus evasisset. Itaque, quum suis etiam studiis momentum auguraretur religionis Christianae interius attendendae, non tarde se huc con-

1) Vid. supra p. 4.
2) *Socrat. School* III, Inleid. et *School van Polyb.* p. 26.

vertit operamque dare theologiae instituit. Inde vero lux oboriebatur nulla. In systemate rite ordinato partibusque apte nexis conspicuo, cujus formâ illam tunc plurimum prodeuntem cernebat, ipsam haud reperire sibi videbatur Euangelii ψυχὴν, nedum hanc efficere e recentiorum scholarum theologia poterat, in qua rem Christianam hujusque principia prope desiderabat. [1]) Quid igitur? Unde, de hac decedens via, meliora dein hausit? E Codicis Sacri, ut ipsius verbis dicam, lectione exque uno praeterea Platone. «Quo studiosius ipsos — inquit — libros sacros legebam et intelligere conabar, quo simul diligentius, in Platonis scriptis operam ponens, hujus philosophiam mente complecti studebam, eo plus lucis mihi parabatur ad religionis Christianae perspicientiam. Mirabar continuo similitudinem sublimium utriusque effatorum: non quod in Platonis philosophia nostram reperirem religionem: nihil minus; nam primum illius effata ex interiore manant philosopha disquisitione, hujus vero dicta auctoritatis vocem produnt: accedit magnum philosophiae et religionis discrimen. Altera humana est, divina altera: illa ab homine ordiens ascendit ad Deum, haec ordiens a Deo descendit ad hominem et res humanas. At vero, in hoc ipso discrimine et prorsus diversa quin contraria utriusque via, me tamen, praeter effatorum similitudinem, magis magisque tenebat principiorum similitudo, quae in Platone aeque atque in nostra religionis doctrina deprehendebam. Exempli loco illud esto, quod primum nominari oportet, principium amoris. Non id apud Platonem

---

1) *Socrat. School* IV, 169.

reperiebam, quod nos Christiani amore erga Deum hominesque intelligimus; hoc nostrae religionis unice proprium est. Sed pariter omnem illius philosophiam initium ab eodem amoris principio ducentem videbam, et sic ille non tantum mihi dux erat ad indolem religionis Christianae animadvertendam, quae amorem spirat et amore continetur tota, sed efficiebat insuper, ut philosopha ratione hoc principiorum omnium summum in homine explorarem. Centies ejus Symposion legi: semper eo valuit dialogi lectio, ut altius in hominis naturam penetrarem; semper eadem nostrae religionis mihi cognoscendam et magni faciendam praebuit quum sublimitatem omnem tum vero propositum homines populosque, quin universum genus humanum, beandi et penitus emendandi atque excolendi. Sic vim philosophiae ad Christianae religionis intelligentiam expertus ipse sum. Sed pariter in gravi theologiae de Deo deque via, qua homo ad Illius perfectionem tendat, quaestione perspicienda plus me Platoni quam theologiae nostrae acceptum referre fateor. Plato enim in nosmet ipsos nos convertit, ut in ipsum animum introspicere discamus: theologiae vero cuncta prius, quam nos ipsi, argumentum sumus. Nec mirum, quum theologia disciplina, systema sit, Platonis autem philosophia hominis sit institutio ad sapientiam quaeque cum Deo sit, similitudinem parandam. » 1) — Haec Heusdius de sese, quibus si nondum satis perspicue omnia indicari existimentur, quamobrem Platonem ille in his gravissimis meditationibus sibi *προπαιδευτὴν* censeret, illud, quaeso, cogitemus, quod non minus, quam amorem, nostra spirat

1) *Socrat. School* IV, 168 sqq. Cf. in primis p. 172.

religio et Heusdius omnium maxime spectavit, quum verissimae religioni perhibebat verissimam philosophiam non posse non tum convenire tum lucem affundere.[1]) Scilicet quae apud Platonem diligentissimae sunt humanaeque naturae prorsus congruentes de hominis ad veritatem conversione disquisitiones, has ubi ab aliorum philosophorum, ab Hemsterhusii adeo, placitis rite secreverat penitusque perspexerat; tum certius inde in religionis indolem penetravit, hominem non ad virtutem praecipue neque ad vitae sanctitatem, sed ad veritatem ducentis.[2])

Et sic quidem praecipua attigi momenta, quae Heusdium Platoni summopere conciliasse arbitror. Insignis in iis cernitur progressio. A poëtica Platonis facultate orationisque laudibus diligendis orsus, graviora identidem in eo diligere coepit, quaeque hominis cognoscendi studiosum non tantum in viam ducerent accurate explorandi, sed etiam videndi, qua illum ratione institui, excoli, emendari, divinae omnino perfectionis amantem reddi oporteat. Quod tamen non ita accipiatur velim, ac si, quae prius singularem ei philosophi admirationem moverant, haec postea nullo apud eum exiguove loco fuisse putem. Contra statuo. Cunctas Platonis virtutes, poëtica illa facultate nitentes, Heusdius pro eximio pulcri amore acrius senserat, quam ut umquam parvi faceret, sed *summam* earum admirationem posteriora studia magisque subactum ingenium et mens defixa in gravissimis quibusque cogitationibus sive temperarunt sive praeclarioribus nexuerunt Platonicae excellentiae

---

1) *Init. phil. Plat.* II, 3, 116.
2) Eod. p. 134 *sqq.*

partibus. Verum hoc perspicuum. Illud autem quaerere juvat, ineptaene, dicta perpendentibus, eorum voces videantur, qui in Heusdio ingenii quamdam cum Platone similitudinem atque cognationem loqui soleant. Quodsi qui hoc dijudicare nolint, id certe spero fore ut largiantur, ex hisce Heusdii studiis quum non editio Platonis, sed philosophiae Platonicae interpretatio et amplissima consilia prodierint hac ipsâ nostris consulendi temporibus, nihil quidem esse, quod mirari quemquam oporteat. Et de Heusdio sero demum ac multum edente quid jam dicere attinet? Nonne ea, in quae assequenda et plurimum et partim suo ipse marte incumbebat, ejusmodi erant, ut lentissime demum suam quamdam consequi possent maturitatem? In Epilogo *Initiorum philosophiae Platonicae* «perduxi — ajebat quinquaginta septem annorum vir — ad finem negotium, cui peragendo totam ferme vitam impendi. Nec tamen is ego sum, qui sic, me auctore, rem plane confectam arbitrer. Habebunt posteri, quae vel corrigant in hisce, vel suppleant, permulta.» [1]) Sed sic huic negotio vitam impenderat, ut, quum ad illud mente complectendum totum ex omni adeo historia et nullis non complurium populorum monumentis literariis sapere studuisset, uberrimam tandem haberet velut commentationis copiam, unde quid nobis tum brevi temporis spatio impertiverit, tum porro impertire decrevisset, jam operae pretium est persequi.

Primum commemoranda sunt *Initia philosophiae Platonicae*, tribus deinceps voluminibus ab a. 1827—1836

---

1) III, 253.

edita. Hoc opus ornatur monumento pietatis ex eo quidem genere, quod in Neerlandia nondum ignorari pronuntiavit Heerenus. [1]) Praemissa enim est Epistola ad Creuzerum de Wyttenbachio. Heusdium multi norunt carissimi praeceptoris vitam conscripturum fuisse, ni Mahnium accepisset idem consilium agitare, et hoc dein judicasset virum Clarissimum exsecutum fuisse pie, debite, accurate, docte, ut germanum deceret Wyttenbachii discipulum. [2]) Sed, prouti ille hunc gaudebat pietatis officio satisfecisse, ita a se illud non aeque expletum esse, se grati animi sensum non scribendo effudisse nec palam declarasse, aegre ferebat. Hinc tandem Epistola illa ad Creuzerum et veterem Wyttenbachii et Heusdii item a multis annis amicum conjunctissimum et communem Platonis amatorem; in qua Epistola, *ἀντιδώρου* loco missa [3]), Heusdius se simpliciter narraturum ait, «quis ipsius fuerit sensus, cum Wyttenbachium primum conveniret: qualis esse ipsi deinceps visus sit in literis tractandis et discipulis instituendis: praesertim quae ejus fuerint in ipsum merita et illis temporibus et deinceps perpetuo, quoad ipsi frui ejus consuetudine et suavitate licuerit.» [4]) Atque haec nativa prorsus venustate et elegantia, diserte porro et ad egregias Wyttenbachii laudes perspiciendas apte ab Heusdio exposita esse; ineptum paene videtur post eos repetere, qui praestantissimum virum optime noverunt. [5]) Quorum tamen quis non libens Cleobulinae

1) *Gött. Gel. Anz.* a. 1827, p. 1776. Nam ea Censurae pars, qua agitur de *Epistola ad Creuzerum*, ab Heereno scripta est.

2) *Epist.* p. 2.

3) Eod. p. 42.

4) Eod. p. 2.

5) Cf. omnino Bakius *Bibl. Crit. Nova* IV, 39.

sententiam accipiet, judicis illius elegantis et in primis idoneae, cui dilectissimum utriusque amicum ea Eurymanthus [1]) colorum temperie pinxisse videbatur, quam praeter ipsum exprimere nemo unus potuisset? Imaginis illa celebrabat veritatem: monumentum affirmabat Theageni positum, quod simul auctoris eruditionem, pietatem, animi pulcritudinem declararet: se inter legendum ad ea loca, quorum praestantia maxime capta esset, prope insciam scripsisse *pulcre*, *eximie*, *nihil supra potest:* id vero dolere, quod per oculorum valetudinem publicum nequiret scriptori dare admirationis et grati animi testimonium. Verum loca, doctae feminae praestantissima visa, quaenam erant? Ea, ni fallor, quibus afferendis et operae pretium fecit et feminae probavit sentiendi subtilitatem: — de Heusdio juvene una cum Wyttenbachio suo ipsas subinde intrante Ruhnkenii aedes, ubi comiter blandeque ipsos exciperet elegans elegantissimi viri filia, libens de patre narrans et de viris celeberrimis, qui in ipso illo conclavi, ubi adesset, cum Ruhnkenio fuissent; quum juvenis vivere sibi videretur aureo quodam saeculo: [2]) — de Attico plane Wyttenbachii sermone, non ducto ex Latino quodam auctore, sed Socraticam spirante suavitatem, leporem, facetias, ut in Xenophontis occurrat Memorabilibus: [3]) — de ejusdem a multis iisque magnis viris discrimine, in Socraticae posito Platonicaeque philoso-

1) Ex quo enim Heusdium Wyttenbachia hoc nomine in *Symposiacis* suis loquentem induxerat, usa eo fere est in Francicis ad illum epistolis.

2) P. 11.

3) P. 15.

phiae studio, quod in omnibus ejus scriptis et commentationibus dominetur:[1]) — tum haec illa vehementer probabat: «Haud aversatus est poëtas Wyttenbachius, ut fuerunt qui dicerent. Legit antiquos omnes, ut fecerat Ruhnkenius: legit? imo intimo sensu percepit optimos quosque, ut in scriptis, in lectionibus publicis, in familiari vitae consuetudine pulcerrima quaeque et sublimia item loca sponte adduceret. In lectione aliquando, cui intereram, sic recitabat et interpretabatur Horatii illud: *Pindarum quisquis studet aemulari* — ut qui natus esset poëta, haud sublimius Pindari sublimitatem exprimere potuisset.» [2]) — porro efferebat ea: «Ipse vir summus Criticam sic adhibuit et literis universe et historiae in primis philosophicae, ut non solum ex fontibus hauriret, ipsosque diligenter fontes grammatica ratione exploraret; sed indolem praesertim investigaret et linguarum et gentium antiquarum: hanc vere principium esse ratus, unde judicium omne de scriptis veterum et institutis et opinionibus unice esset instituendum.» [3]) — De proximis autem verbis «Video epistolae me fines jam longe superasse; sed age, semel hos transgresso, concedas mihi velim, ut pergam libere. Nam quod tandem argumentum nos magis jucundiusque teneat, quam magni viri et amici memoria, quem ambo coluimus, desideramus ambo?» [4]) — quanta, ajebat, sentiendi pulcritudo! ut antiquitatis, quem tota Epistola refert, colorem spirat! quam Phae-

1) P. 18.
2) P. 22.
3) P. 34.
4) P. 35.

dro digna Socratem suum colente! denique locum illa persentiebat de Wyttenbachianae institutionis vi ad humanitatis apud nos progressionem provehendam et accelerandam. [1]) — Et quidni maxima cum voluptate cumque Theagenis sui admiratione illud perpendisset, cujus lectio eodem fere tempore haec verba Heereno expressit? «Quis igitur Wyttenbachii hujusque similium virorum vim et momentum ad calculos adstringat? In eo ipso dignum positum est magnorum Doctorum praemium, quod vis eorum longe ultra fines patet, quos ipsi cogitatione attingere poterant.» [2])

Sic Heusdius pietatis officium tam modo quam loco aptissimo explevit. Locus enim *τοῦ φιλοπλάτωνος* memoriae celebrandae ecquis reperiri dignior poterat quam in Platonici argumenti exordio? in primis quum et memoria illa apud scriptorem proxime cum Platonis amore conjuncta esset, nec Creuzerum hujusce conjunctionis causam fugere oporteret ad ipsas Heusdii Platonicas disquisitiones judicandas. [3])

Has disquisitiones, complurium annorum haud intermisso studio partas, gravissima de causa edidit Heusdius; quemadmodum et ex indiciis passim obviis [4]) et e schedis ejus manu scriptis patet. Primo praecipuoque loco ille juvenes spectabat eximii ingenii, quique spem afferrent futurae sive in literis et disciplinis sive in philosophia excellentiae. Hos potissimum ad Platonis quum

---

1) P. 40 seq.
2) *Gött. Gel. Anz.* l. l. p. 1779.
3) *Epist. ad Creuz.* p. 2 seq.
4) Vidd. v. c. *Br. over H. Ond.* p. 120 seq. et *Br. over het beoefenen der wijsg.* p. 60.

scripta legenda tum philosophiam perspiciendam adjuvare cupiebat. De auxilii momento ac necessitate eo certius sibi persuaserat, quo magis vulgarem improbabat Platonis legendi rationem. Nam plurimos animadverterat, adsuetos quippe syntheticae nostrorum scriptorum rationi, eamdem in Platone suspicari probandi demonstrandique viam, et hinc aegre intelligere philosophum, cujus analytica praesertim sit veri indagandi methodus. Vel potius aliis evenire vidit, quod expertus ipse fuerat; qui, quum primum hoc studium ingrederetur, eadem de causa Platonis dialogos, quamquam libens eos et magna adeo voluptate legere solitus, non tamen intellexisset satis. [1]) Quamobrem analyticam viam judicabat diligenter tenendam, in primisque naturam cognoscendam esse dialogi Platonici, prorsus diversam a syntheticis plerumque posteriorum commentationibus, forma colloquii, tamquam adventitio ornatu, indutis, contra in eo positam, ut sint dramata philosopha, interioris, e Socratis methodo, indagationis philosophae plena, mentem inter legendum continenter acuentia et ad cogitandum, inquirendum, judicandum, quin explorandum semet ipsam, incitantia. [2]) Haec qui non assecuti essent, negabat porro ipsam capere et dijudicare posse Platonis philosophiam, perperam, ipso judice, ab Aristoteleo inde aevo saepius doctrinam habitam sive scientiam partibus suis constantem. Sic statuenti Heusdio utile videbatur istiusmodi edere disquisitiones, quibus, missis plane recentioris aevi opinionibus philosophandique norma, ipsam Platonis philosophiam

---

1) *Charact. princ. Phil. vet.* p. 199.

2) Hic conferri operae pretium est *Br. over H. Ond. Br.* XVI.

exprimere studeret et attendenda Socratica dialogi ratione, qua usus ille interrogando, inquirendo, distinguendo admirabilem in modum illustrasset omnia, Platonem non tamquam aliquem de schola philosophum, sed ut lumen philosophiae, proponere conaretur. 1) Haud latebat, hanc ingenii Platonici ubique servandi voluntatem in viam ducere longiorem quam quo synthetica ferret explicandi ratio; verum tenendâ illâ id eum egisse constat, ut lectores non ex ipsius libro, tamquam e compendio, sapere sibi viderentur, sed praeparati his *Initiis* et quasi *initiati* quodammodo, ex ipsis dein *reapse* saperent scriptis Platonis. 2)

Verum illud sapere e Platone, quo praesertim excellentis ingenii egregiaeque spei juvenes ducendi viderentur, quid potissimum boni allaturum sperabat Heusdius? Attendebat tempora sua, ad quorum usum e scriptis illis multum profici posse arbitrabatur, si quidem a Socrate et Platone, ipsius philosophiae in hominum genere parentibus, ea optime discerentur, quae magno cum gravissimarum rerum detrimento nondum satis sive teneri sive curari censebat, nimirum quid sit philosophia, quo pertineat maxime, qua sit ratione quo consilio tractanda. Quodsi ab his principiis inde ducendis initium fieret, perceptisque iis praeclara dein adirentur recentioris aevi inventa, tum demum fore judicabat, ut philosophia ad communem adhiberetur generis humani salutem. 3) Et eo praecipue nomine Heusdius suum

---

1) *Init. phil. Plat.* III, 253 seq.
2) *Eod.* II, 2, 219. Cf. I, 74.
3) *Eod.* II, 1, 5 et III, 256.

ipse opus a plurimorum distinxit de Platone commentationibus, quarum haud paucas profecto magni facere sibique perutiles dicere solebat. Sed prouti aliis interpretatio scriptorum, placitorum explicatio aliis maxime proposita fuerat horumque multi viris doctis suas destinaverant commentationes: ita Heusdius eos potius, quos vidimus, juvenes cogitabat, neque unice Platonis aut scripta spectabat aut philosophiam, sed utrorumque per hos rite aliquando institutos momentum volebat et animo praecipiebat temporibus nostris saluberrimum.

Haec attendenti facile est illarum cursum capere disquisitionum, quibus symbolum adscribi aptius nullum poterat quam inclyta Ciceronis sententia, «Ex hoc igitur Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio.» — Jam operis exordio, quod est de *philosophia*, hinc illa manat et, quod diligentissime tenendum est, simul ea continentur, quae Heusdio eximie placuerunt redeuntque in operibus ejus tantum non omnibus, sive potius fundamenta omnium fere sunt disquisitionum. Namque de philosophiae ille agit, florentissimo ejus aevo, notione, quemadmodum tunc ab antiquis accurate a rerum scientia et doctrinae ratione ipsi distincta esse videatur. Nam «illam — inquit — antiqui non *objective* de re tractanda, sed *subjective* de rei tractandae studio, nec solum de hoc studio, sed etiam de ejus vi et effectibus accipere solebant. Quamobrem cum *studium* haberetur philosophia discendi, explorandi, perquirendi, quod nil non complecteretur scitu dignum, ita fons esse existimabatur uberrimus, e quo artes omnes et disciplinae manarent.» [1]) Tum normam indicat Plato-

1) *Init.* I, 51.

nicorum scriptorum rite dijudicandorum, atque «hoc — ait — indagandi cognoscendique studium in scriptis Platonis dominatur plane. Haud condere conatur doctrinam quamdam, sive systema, sed Socratem et alios sic inducit res gravissimas perquirentes et investigantes, ut dicas subinde, hac eum disquisitione contentum fuisse. Instituit longas subinde de *sancto*, de *temperantia*, de *scientia* disputationes, quibus tamen, in dialogi cujusque fine, quid singula sint, non efficitur. In aliis scriptis propositum argumentum apte explicat, sed ita hoc fere peragitur, ut distinguendo disquirendoque eo perveniatur. Protulit omnino scribendo opiniones suas de rebus divinis et humanis, imo probavit eas et ab adversariorum opinionibus defendit, sed in ipsa adeo hac defensione, Socratica fere usus est disquirendi ratione.» [1]) Verumtamen in hoc prooemio non *ducitur* tantum e Platonis fonte oratio, sed eamdem per totum opus inde ductum iri perspicue *ostenditur*. Huc pertinet Heusdii animadversio de disquisitionum suarum successione. Non enim is erit horum *Initiorum* ordo, qui posteriore nititur philosophiae in dialecticam, physicam et ethicam divisione; repudiata hac, quam Plato si praeparaverit quodammodo, ipse tamen ignoravit, distributione, ea in primis afferentur et explicabuntur, in quibus indagandis ipsum philosophum maxime versatum fuisse, quae dominari omnino in gravioribus ejusdem disquisitionibus appareat: *pulcrum* dico, *verum*, *justum*, de quibus quoniam, aptissima praemissa de *animo* disputatione, singulatim deinceps ageret tandemque ad *res divinas* progredere-

1) *Init.* I, 52.

tur Heusdius, videbatur sibi ipsius secuturus esse ingenii Platonici in philosophando progressionem.

Hic simplex est naturaeque congruens *Initiorum* ordo, ad quem reperiundum Wyttenbachium Heusdio haud parum profuisse suspicatur fortasse nemo. Nam, ne alia memorem, vel verba illius in Epistola ad discipulum hanc impediunt suspicionem, id quippe, Platonis intelligendi gratia, futuro interpreti praecipientis, «ut tres antiquae philosophiae partes distinguat, et unicuique suum ac proprium det locum, Logicae, Ethicae, Physicae, subjectasque singulis partes discernat. Tum Platonis — ille pergit — de philosophia sententias quasque in hos locos digeret interpres: expletis singulis locis, sententias in iis notatas inter se comparabit, ordinabit, et ad quamdam doctrinae rationem disponet.» [1]) Quibus quid alienius ab Heusdiana interpretandi via? Neque tamen non vera est ea, quam attigi, suspicio. Ipse enim Heusdius, si alteram *Initiorum* editionem parare potuisset, in Epistola ad Bakium, veterem amicum et Wyttenbachii discipulum, quam praemittere volumini secundo decreverat, haec scripturus fuisset: — Equidem in paranda hac *Initiorum* meorum editione saepe ordinem cogito, quo Platonicam philosophiam exponere studui. Acceptum hunc refero Wyttenbachio, quamquam ipse eum non secutus est. Rem tibi enarrabo. Ego assiduam Platoni operam navans, ordinem volebam et omnia bene vincta, systema volebam Platonicae philosophiae: at ille, «vide — inquit — tuum ne Platoni obtrudas systema:» post in contrariam abibam partem et ab

1) P. XXXVIII.

omni systemate alienus, separatim legere singulos dialogos volebam prout fabulas Euripideas: id ille laudans, addebat tamen, «Plato philosophus erat, vide ne huc illuc erres, iter coeci sine dialectica.» Sic meus me Socrates ad mentem intendendam erigebat. Tandem «εὕρηκα, — inquam — in tuis *philosophiae Logicae Praeceptis* inveni philosophiam veri, philosophiam boni, philosophiam pulcri:[1]) pariterque eo ducor Oratione tua de *conjunctione philosophiae cum literis*.»[2]) «Age igitur — ajebat — da mihi philosophiam pulcri Platonicam.»[3]) — Admirabilem unius effati vim, ad quod suscipiendum et servandum et boni seminis instar fovendum mens est idonea! Consilii amplitudinem non omnino ceperit Wyttenbachius; quo tamen ipse haud accessit, eo ut discipulus, crebris illius de pulcro et sublimi, de amore et amoris ἐνθουσιασμῷ sermonibus[4]) adjutus, perveniret aliquando, multum profuit. Id Heusdius non statim quidem intellexit, ex quo justum Platonis explicandi ordinem animo conceperat. Hunc contra ordinem initio eum minime dubitasse comperi quin sibi deberet uni. Sed, postquam se suaque studia dijudicare ea prudentia et integritate coeperat, quae provectioris aetatis est, ad sapientiam et veritatem unice appetendam roboratae, tum dicti illius

---

1) *Praec. philos. Log.* p. 5 sqq.

2) Wytt. *Opusc.* I, 107 sqq.

3) Doleo hanc Epistolam, cujus argumentum futurum fuisse credo *Wyttenbachium*, adeo vix inchoatam ab Heusdio esse, ut praeter locum laudatum nihil plane exstet. Pariter Epistolae ad Creuzerum Heusdius cogitasse videtur editionem auctiorem et emendatiorem. *Initiorum* autem editio altera brevi in lucem prodibit.

4) *Epist. ad Creuz.* p. 25.

memoriam instauratam et momentum ejus ad mentem olim excitandam atque pungendam agnitum et sic factum esse opinor, ut, quod comprobavisset ratio, id gratus animus libenter continuo et candide fateretur.

Sed redeamus in viam. Quod enim ordinem *Initiorum* simplicem naturaeque consentaneum dixi, confirmatur omnino facilitate, qua exquisitam gravissimorum argumentorum copiam ex eo aptam et nexam videmus. Heusdium pro summo, quo ferebatur, hominis explorandi studio haud fugerat, quantopere ad hominem referatur philosophia Platonis, quamque diligenter idcirco in eam inducerentur lectores, si quidem hinc initium peteret et huc rediret interpres. Itaque ipse, Platonem sequens *οἴκοθεν ἀρξάμενον*, singulas de pulcro, vero, justo disputationes a nobismet ipsis et animi nostri natura, ab attendendo maxime pulcri, veri, justi amore, insito nobis, sed latente, orditur. Hoc progressuum nostrorum principio semper nitens, *artes* commemorat, quarum, judice Platone, est, pulcri amorem suscitare, ut ad ipsum adducamur pulcrum: pariterque, veri amore spectato, *disciplinas* persequitur, quae, de philosophi sententia, hunc proliciant firmentque amorem et hominem ad verum, e mundo hocce *ὁρατῷ* in *νοητὸν*, educant. Sic lente festinat, tuto procedit, haud prius ad *σκοπὸν* properans quam de principiis constet, viaque, quae illuc ducat, ostensa sit. Hac autem disputationis diligentia et ubertate varia sponte suscipiens nondum satis vel intellecta vel saltem explicita, *suo* quaeque *loco* illustrat, ut, quo singula pertineant, quid efficere possint, luculenter appareat. Exemplo sit disquisitio de amore, sic initio operis instituta, ut principium illud in Platonis philosophia summum atque efficacissimum, ab

omnibus commentis integrum, vigore suo omni, eaque in luce prodeat, unde alia per totum deinceps opus illustrentur quam plurima: haud negligamus porro locum de *μαιευτικῇ* Socratica cum animi nostri natura arctissime cohaerente ac statim proinde, ex quo insita nobis veri cupiditas perquisita erat, plenissime profecto neque ad Platonis magis quam ad justae institutionis intelligentiam uberrime descripta: tum vero disputationis recordemur de dialectica, principe illa apud Platonem disciplinarum omnium, quae mentem evehant in mundum *νοητὸν*, trahant omnino *ἀπὸ τοῦ γιγνομένου ἐπὶ τὸ ὄν*· has enim explicans interpres, singulari prorsus *ἀκριβείᾳ* versatur in illa, cujus ne origine quidem initiisque neglectis, sic tradit rationem Socraticam et Aristoteleam omnem, ut cernendo jungendoque ipsius tandem Platonis locum inter magistrum et discipulum reperiat, singularum insuper declarans methodorum vim, usum, praestantiam, Platonicorum scriptorum cum philosophi dialectica convenientiam persequens, omnibus denique patefaciens, quantopere princeps disciplinarum, saepe licet in philosophiae detrimentum versa, ei tamen prodesse et possit et debeat. Neque alia non suppetunt interpretationis perspicuae atque opportunae exempla. E disquisitione v. c. de mundo *νοητῷ*, in quo apud Platonem ideae lucent, ipsarum obversatur idearum explicatio: quam sedulo eae a similibus, quae videntur, aliorum philosophorum placitis distinguantur: ut, eodem Platonica quaeque ab alienis purgata et integra exhibendi studio, metaphysicae Aristoteleae examinentur et comparentur placita, atque hoc tandem in conspectu nostro ponatur, horum quoque, utut sublimium, Platonis placitorum simplex esse propositum,

hominis enim spectari ad veritatem *περιαγωγήν*. Et ultimum quî mittamus *Initiorum* volumen? Idem illic, atque in superioribus, ab ipsa hominis indole contemplanda exordium, ut hinc justitiae vitaeque beatae principia Platonice eruantur; sed, quod Platoni in primis placebat, nobis autem mirum ac prope absurdum videatur, tam civitatem in homine quam hominem in civitate considerare, hoc ut probe intelligatur et sic peculiares philosophi in justitia vindicanda laudes, imo politicae atque ethicae arctissima necessitudo eluceant, summam ab interprete operam dari videmus. Nec mirum. Hîc enim principia aguntur vitae civilis, in qua quum homo vivere debeat suasque demum facultates rite excolere possit, ecquid eo argumento gravius, quod justitiam ejusque vim ad civitatem fulciendam dignitatemque summam e morali hominis natura repetendam esse ostendat? Illuc Heusdius tam in scriptis quam coram discipulis saepissime redibat, horumque in numero dubiis adeo Europae temporibus fuisse qui ipsum de Platone disserentem intelligerent, testis est praeclara Geerii *in politices Platonicae principia* Diatribe, tum edita, quum omnis justitiae auctoritas interitura et politica, fraude atque fallaciis constans, omnia pessum datura videbatur.

Peculiares profecto sunt Heusdiano operi virtutes. Non dico elegantem orationis simplicitatem, non acutas de variis Platonis dialogis animadversiones aut exquisitae lectionis atque eruditionis indicia, ne singularem quidem observandi distinguendique solertiam volo: quamquam haec omnia opus commendant: verum admirabilem significo libri vim ad inducendum in scripta et philosophiam Platonis. Haec enim scripta quum non citentur

tantummodo aut illustrentur, sed revera legantur nobiscum, fit omnino, quod scriptor spectavit maxime, ut per *Initia* haecce ipsis Platonis sacris initiemur. Gravissimae, ut hoc utar, de μαιευτικῇ sunt et dialectica disputationes, sed, ad utramque perspiciendam, quantum est momentum Socratem ipsum audiendi, alteram generosis amicis adhibentem, verum inquirentem alterâ et quasi venantem! In peculiares illas virtutes praeterea refero continuam disquisitionum progressionem, ipsius hominis convenientem in progrediundo rationi, non tantum vigorem et veluti vitam toti operi conciliantem, sed plenam insuper indiciorum, quae in viam ducant hominis recte excolendi, philosophiaeque ad majorem etiam, quam quae Platoni obversabatur, illius salutem adhibendae. Hîc sponte in mentem venit dialecticae Socraticae, Platonicae, Aristoteleae *characterismus*, ipsius etiam declarans ingenii humani in studio veritatis progressionem, et singularum methodorum, inductionis, analyseos, syllogisticae summam explicans singulis aetatibus momentum. 1) Attamen non tam hanc illamve disputationem, quam omnem significo operis rationem. Quod enim Heusdius initio dixerat, se philosophiam pulcri, veri, justi deinceps exponentem, Platonico ingenio convenienter facturum esse, id per totum opus ostendere conatur, nec immerito tandem animadvertit, quantopere ipsi ingenio humano ejusque in sapientiae via progressioni hoc consentaneum sit. 2)

Haec perpendenti mihi non nimiae videntur laudes,

---

1) *Init.* II, 2, 157 sqq.
2) *Eod.* I, 72 et III, 12.

quibus Bouterwekius,[1]) Wiegandus,[2]) Bakius,[3]) Bekkerus,[4]) Creuzerus,[5]) aliique doctissimi viri *Initia* ornarunt, quorum Car. Fred. Hermannum in Programmate de ***idea boni apud Platonem*** ea aureum librum vocasse et Heusdio pronuntiasse neminem umquam plenius Platonici ingenii sublimitatem dicendo assecutum esse tristi cum voluptate legi; adscriptus enim Programmati luctuosus ille dies est 28 m. Julii a. 1839. Cum hoc Eruditissimo viro cumque Victore Cousino Baiterus, Orellius et Winckelmannus brevi ante Heusdium consociaverant sua ipsis inscripta Platonis editione, cujus quidem philosophi studiosos «gratissimo animo jam dudum popularem nostrum observare ac venerari» iidem affirmarunt. Haec autem ne eam in partem accipere censear, ut tum his tum aliis doctis viris omnino defuisse opiner, quae in

---

1) *Gött. Gel. Anz.* l. l. p. 1769.
2) Seeb. *Krit. Bibliothek* a. 1828, p. 273.
3) *Bibl. Crit. Nova* IV, 21.
4) *Heidelb. Jahrb.* a. 1830, p. 983.
5) *Wiener Jahrb.* a. 1833, Vol. LXI. p. 200. E Bekkeri relatione non possum non haec adscribere. — Um zur angezeigten Schrift zurückzukehren, so glauben wir dieselbe nicht treffender charakterisiren zu können, als durch Zuziehung einer schönen Stelle des Verfs. aus der Vorrede zu seinem *Spec. Crit.* p. XXIII. «*Nam cogitando eum mihi informans Platonis studiosum, qui viri magnitudinem totam percipiens, ipsius de philosophia placita non tarde molesteque et quasi rependo assequeretur, sed, tamquam e sublimi arce universa simul unoque oculorum obtutu contemplaretur: hunc quasi praesagivi mihique persuasi tantum abfore, ut placitorum aliquod mirum absurdumve duceret, ut talem eorum perciperet inter se concentum, qualem divino illo dignum ingenio judicaret.*» Dem Ideale einer für Geist und Herz gleich fruchtbaren Betrachtung der Platonischen Weisheit, welches sich der Vf. damals bildete, ist er unserer Ueberzeugung nach bei der Behandlung seines Gegenstandes so nahe gekommen, als es unter den gegebenen Umständen möglich ist. — p. 985.

Heusdii opere minus probarent. Absit, quaeso, stultae hujusmodi opinionis suspicio, etiamsi prae mea sive negligentia sive ignorantia futurum fortasse sit, ut lectores ea de re non ubique admoneantur. Contra non solum variorum novi animadversiones, sed, quod majus, in his esse scio, unde ipse Heusdius se profecisse ad inquisitionis diligentiam porro intendendam gratus fateretur. Illuc autem haud pertinebat *κρίσις* eorum, quos ita in recentioris aevi decretis habitare et exsultare animadverterat, ut in germanam Socratis et Platonis philosophiam se transferre non possent. [1]) Si qui judicarent, non omnes Platonicae philosophiae quaestiones ab ipso profligatas esse, dubitabat num satis libri titulus consiliumque attenderetur lectores *Initiis* praeparandi, quo scilicet, legendis Platonis scriptis, singula in ea philosophia singulatim ipsi animadverterent et persequerentur. [2]) Neque tamen ideo esse negabat, quae alii corrigenda vel supplenda haberent: monebat adeo, quid faciendum posteris esset, quo Platonis philosophiam *aliquando prorsus in luce ponerent:* [3]) quin ipsum videbimus, triennio vix a scriptis hisce verbis exacto, ea jam supplere aggredientem, quae *Initiis* suis deesse putabat. Qui autem suspicabantur, optabile ipsi videri, ut nos in Platonicae philosophiae effatis acquiesceremus, horum saltem prudentiam requirebat in opere suo dijudicando. Nec mirum. Nam diserte pronuntiaverat, «non ita sequi nos Socratem et Platonem oportere, ut, puerorum instar, haud quidquam probemus, nisi

1) *Init.* III, 8.
2) *Eod.* II, 2, 219.
3) *Eod.* III, 253.

quod illi dixerint, aut, quae dixerint, unice vera putemus.» Et haec praeterea scripserat, «Misera esset profecto gentium Germanicarum conditio, si post tot tantosque exantlatos ad verum inveniendum labores, constaret tandem, frustra ipsas per tot saecula laborasse, vanaque esse et falsa summorum celeberrimorumque philosophorum placita.» [1]) Tum vero, «quod antiquam illam — inquit — philosophiam commendamus, non ita accipiendum, quasi retrogradi velimus, missisque, quae adsunt nobis, Veteribus defuerunt, doctrinae sapientiaeque adminiculis, iter nostrum iisdem, quibus Veteres, terminis definire jubeamus. Vetant hoc et alia permulta, et vero *religionis*, quae post illorum tempora exstitit, cum ubertas, tum ad sapientiae viam recte tenendam efficacitas.» [2]) Quid igitur voluit Heusdius? Nihil eorum, quae opinionibus ejus de generis humani progressione erectioreque gentium Germanicarum indole vehementissime adversatura fuissent; sed, ut supra monuimus, commendavit et ursit Platonicae philosophiae *principia*, haec nota, haec penitus perspecta, haec omnino cara iis cupivit, qui e recentioris aevi inventis maximo cum suo aliorumque compendio proficere vellent. Desiderari hac aetate commutationem philosophiae non unius fuit Heusdii sententia. [3]) Neque enim ille *transscendentalem* neque

---

1) *Init.* II, 1, 5.

2) *Eod.* III, 256.

3) «Wenn nicht alle Zeichen trügen (und diese werden täglich zahlreicher und augenscheinlicher), so stehn wir jetzt in der deutschen Philosophie am Vorabend eines besseren Tages. Hat jemals die Geschichte einen klarbestimmten Urtheilsspruch gethan, so ist es der in der historischen Entwickelung der letzten funfzig Jahre vorliegende: dass durch alle sogenannte philosophische Spekulation,

piricam probabat, sed mediam tenentem eamdemque regiam viam, quam physici sequantur a *posteriori* ex-

mit wie glänzender Erfindungskraft, wie bewunderungswürdigem Scharfsinne auch dieselbe ausgeführt werden mag, nichts als Hirngespinnste gewonnen werden. Dies nun hat man in der letzten Zeit allmälich immer mehr und mehr eingesehn Nur in verhältnissmässig wenigen Köpfen noch spukt das Unwesen fort: wie sich, nachdem der Sturm vorüber ist, die Brandung noch eine Zeit lang, selbst mit scheinbar erhöhter Heftigkeit, gegen den Felsen bricht; und auch bei diesen wird es bald ausgespukt haben: wie man schon aus der ermüdenden, ekelerregenden Eintönigkeit sieht, mit welcher jetzt die überkommenen Phrasen wiederholt werden, so wie aus den überspannten Kraft- und Trumpfausdrücken, die das Gefühl der inneren Schwäche übertäuben sollen. Das bessere philosophische Publikum hat das Interesse hieran schon seit einiger Zeit beinah gänzlich verloren: lässt das Schauspiel ohne sein Zuschauen zu Ende gehn, ausser wenn etwa das Skandal so gross wird, dass es ihm wider Willen eine augenblickliche Aufmerksamkeit abnöthigt. Immer mehr und mehr fängt man an, sich nach einer geistigen Nahrung zu sehnen, welche nicht bloss vorübergehend mit pikantem Wohlgeschmack kitzelt, oder in einen betäubenden und entnervenden Rausch versetzt, sondern wahrhaft kräftigt, und zu förderlicher Thätigkeit befähigt.» Fr. Ed. Beneke, *System der Metaphysik und Religionsphilosophie, aus den natürlichen Grundverhältnissen des menschlichen Geistes abgeleitet*, Berlin 1840 p. V. seq. Quadriennio autem ante hic scriptor in eamdem partem et alia et haec disputaverat. «Nach zwanzig Jahren wird man kaum noch begreifen, wie man sich von so völlig grundlosen Hirngespinnsten und so schreienden Widersprüchen, wie sie die Systeme der letzten Jahrzehende in verwirrendem Andrängen dargeboten haben, auch nur einen Augenblick habe täuschen lassen können. — Das allgemeine Misstrauen, ja der entschiedene Widerwille gegen die Spekulation wird von Tag zu Tag grösser; das Vorbild der Naturwissenschaften, welche früher denselben Schwankungen unterlegen hatten, und sich nun schon seit zwei Jahrhunderten, rein in Folge der veränderten Methode, eines völlig sicheren Fortschrittes und des ausgedehntesten und reichsten Erwerbes zu erfreuen haben, wirkt immer mächtiger und mächtiger ein.» *Allg. Lit. Zeit.* Erg. Bl. 1836, N. 24, p. 190. Cf. idem in *Allg. Lit. Zeit.* 1838, N. 175, p. 192; et vero Kistii legg. de hoc argumento animadversiones in *Archief voor Kerk. Geschied.* X, 149 *sqq.*

quirentes quid a *priori* sive intus in rerum natura lateat, et hinc naturae phaenomena explicare conantes. Hoc autem «quemadmodum instituendum in animum humanum ac mundum intelligibilem et moralem sit, quidque inde ad indolem hominis ac naturales facultates et cognoscendas et perficiendas, tum etiam ad ipsum mundum intelligibilem et moralem explicandum sperare atque exoptare liceat», ex illo Platonis fonte Heusdio effici posse videbatur.[1] Verum longius ille haud progressus est, dictisque convenienter ea procul dubio explicanda sunt verba, quae aliam item explicationem admittere videantur.

Scripserat Wyttenbachius Heusdio juveni: «Qui in Platone plus aliis videt, ad hujus intelligentiam studiosis prosit: et profecto egregium vitae munus susceperit. Hoc tuum est, mi Heusdi.»[2] Cujus moniti hic semper memor, plurimum gaudebat, se *suo* quidem *modo* ei satisfacere conatum fuisse.

Nondum absoluta *Initia* erant, quum duorum aliorum operum Heusdius alterum jam ediderat, alterum vero edere coeperat.

Prioris conscribendi opportunitas tempora erant, quae nos abhinc annos quatuordecim vivebamus admodum trepida, siquidem metuendum erat, ne et alia in pejus mutarentur et vero juventutis perverteretur institutio. Multi rerum novarum studiosi iique, ut fieri solet, quo indoctiores eo insolentiores, nullas non Academiarum nostrarum mutationes clamitabant. Quorum consiliis licet haud pauci resisterent, tanti tamen tamque assidui

---

1) *Init.* III, 255.
2) *Epist. ad Heusd.* p. XXXI.

isti clamores erant, ut eo praesertim tempore omnium censeretur ingenio animoque praestantium virorum, confirmare bonos, et quibus possent cunctis sapientiae rationibus fulcrum civitatis tueri. Heusdium quoque hortabantur complures, ne suam vocem requiri sineret, sed operam daret omnem quo imminens malum averteretur. «Wyttenbachius — ajebant — non amplius vivit, exstinctus est Crassus, Kemperum quoque desideramus, qui minime profecto taciturus fuisset. Tu age, praesta te virum!» His vocibus non obtemperare Heusdius, etsi alienus a librorum scriptione, praesenti tantum usui inservientium, nefas in re adeo gravi ducebat. Capto scribendi consilio, peculiarem exsequendi rationem iniit, qua tamen sine arrogantiae partiumve studii specie sibi liberrime dicturus multisque fidem facturus esse videbatur. Dialogum enim meditabatur, antiquitatis colore tinctum. Senem sibi ob oculos ponebat priscam Neerlandorum indolem referentem, virum ingenii bonitate multoque rerum usu insignem, sententiam in gravissimis patriae et humanitatis causis aperire neutiquam dubitantem. Hujusmodi senem sibi proponebat saepius cum amico quodam sermones de institutione nostra miscuisse, quos hunc mox epistolarum serie secum communicantem faceret. Sic dialogi, epistolis inserti, formâ scriptus patrio sermone liber est, qui *Epistolas* continet de *natura et consilio Institutionis Superioris*, quarum Heusdius uti primum se editorem modo, ita dein diserte se scriptorem professus est. 1) Eas autem Epilogus excipit, quo ipse

---

1) *Voorberigt des Uitgevers* voor *Brieven over den aard en de strekking van Hooger Onderwijs* et p. 274 ed., et voorberigt der uitgave van 1835.

editor ex Helvetia juniores amicos et discipulos alloquitur. Epistolae numero sunt decem et septem, datae autem Hagae Comitum a die 27 m. Martii ad diem 14 m. Aprilis a. 1828 et scriptae fere omnes alto mane dicuntur. Quae quidem animadvertisse Heusdii familiares haud *ἀδιάφορον* censebant; sed ubi ex ipso libro firmissime sibi persuaserant, scriptorem ejus non alium atque editorem esse, certissimis illis argumentis haec addebant externa, tum ob singularem, qui in Heusdio erat, amorem constantiamque studiorum matutinorum, tum propterea quod revera ipsi tempore laudato Hagae commorandum fuit, uni quippe e Decemviris a Rege lectis commentationum de scribenda patriae historia dijudicandarum gratia. [1])

Magnum sane discrimen est inter Heusdii librum et multa, quae eo tempore de eodem argumento prodierunt, scripta; quorum licet in aliis alia optime dicta sapientissimeque monita inveniantur, in paucioribus tamen rem altissime repetitam esse constat. Hanc Heusdius existimabat nimis vulgo separari ab iis, quorum tamen in gratiam Gymnasia et Academiae constituta essent: hos autem non machinas esse in quamcumque partem se protrudi sinentes, sed homines, aetate florentes, ad ultimam aptos institutionem, qua usi eum tenerent in civitate locum, quo loco patriae tam nocere vehementer quam eximie prodesse possent. Idcirco rem ille a capite repetebat, ipsum contemplans ***hominem*** puerili maxime, adolescentiae, et juvenili aetate, ut, quid hic appetat, quibusnam indigeat, ex ipsis singu-

---

1) *Alg. K. en Letterb.* a. 1827, D. I, p. 19 et D. II, p. 33.

larum aetatum studiis et affectibus, e naturali facultatum sese explicantium progressione efficeretur, ut sic *principia* invenirentur, quibus perspectis facillimum esset Academiarum ordinandarum negotium, principia omnino institutionis, quae ad animum non minus quam ad ingenium pertineat eoque valeat, ut bene vivere et bene mori discamus.

Atque haec Heusdii studiis tum sentiendi cogitandique rationi dudum animadversis sic congruunt, ut facillime intelligantur. Sed iis ipsis quantum accedat interioris disquisitionis ejusdemque Academicam institutionem clarissime illustrantis et velut edito quodam loco tuentis, unice potest libri lectione intelligi. Temporum enim ratio et gentis nostrae indoles attenditur, unde quid et liceat sperare et agi oporteat, palam fiat: diversae institutionis species *inferior*, *media*, *superior* in censum veniunt: singularum spectatur singulis aetatibus usus, quemadmodum illâ puer informari debeat ut *homo*, alterâ adolescens ut *homo cultus*, hac vero juvenis ut *talis homo* evadat, *cujus sua quaedam sit et propria vita;* [1]) quo porro modo, quum primam universi omnino populi communem esse oporteat, media compluribus tantum, paucis denique at principibus in civitate futuris tertia obtingere possit: inde summo institutionis *superioris* momento luculentissime prodeunte, primum de Gymnasiis, utpote gradu ejus primo, tum de Academiis agitur, non statutorum, ut ajunt, inducendorum, sed principiorum commendandorum causa, unde optima quaeque tum hominis indoli congruentia tum

---

1) *Zelfstandig* mensch.

ad hominem penitus excolendum ducentia sponte eruantur. Afferuntur quidem, de quibus diversae hodieque sunt in patria nostra sententiae. Sic de Gymnasiis tamquam Academiarum seminariis disseritur, iisque prudenter [1]) separandis ab institutione *media*, quacum ea jam arctissime conjunctum iverunt nonnulli, Gymnasiorum quippe nostro tempore esse putantes ad alias nec tantum ad eas informare vitae conditiones, quae studiis Academicis parantur. *Me* nondum hisce assentiri parvi refert. Alii vero priusquam assentiendum credant, Heusdianam velim de Gymnasiis non tantum sed de reliqua etiam institutione disputationem diligenter perpendant. Praeterea illa in Gymnasiis commendatur institutionis divisio, qua docendi partes, non *classium*, sed *disciplinarum* ratione habita, inter doctores distribuuntur. Cujusmodi divisionem paulo post Trajecti ad Rhenum, ipsis praeceptoribus suadentibus, inductam, quum ab aliis tum a Victore Cousino rejectam, vindicatam vero a Bolhusio, eximio olim et Heusdii discipulo et Gymnasii Trajectini praeceptore, [2]) ac Leidae, Doctorum pariter rogatu, superiore anno constitutam esse novimus. [3]) Verum quibuscumque haec dubio obnoxia

---

1) Cf. omnino p. 151 et 159 coll. p. 142.

2) Victor Cousin de *l'instruction publique en Hollande* et J. H. Van Bolhuis over *de tegenwoordige inrigting der Latijnsche School te Utrecht*, Utr. a. 1837. Cf. A. Ekker de *Gymnasiis patriis*, *in primis de Gymnasii Rheno-Trajectini interiore ratione*, in *Symb. Liter.*, vol. IV, e qua disputatione operae pretium est innumeros cognoscere Thierschii, festinantius quam accuratius nostra contemplati, errores in illo Gymnasio dijudicando.

3) A. Bake, *Tweede Verslag van den Staat des Stedelijken Gymnasiums te Leijden*, *na afloop van den Jaar-Cursus*, *begonnen den* 12 *Aug.* 1839 *en geëindigd den* 15 *Junij* 1840, p. 2.

videantur, in aliis bene multis, maximeque in adolescentium a tertio quartove decimo demum aetatis anno [1]) per veteres literas rite instituendorum ratione, consilio, effectibus nemo prudentior dissentiet. Adeo interiore antiquitatis cognitione et humanae naturae observatione nituntur omnia, facileque legentes credimus, quod aliunde constat, Heusdium Curatoris munere ad adolescentiae aetatem explorandam et cognoscendam diligentissime usum fuisse. Attamen nihil gravius iis, quae tandem de Academiis disseruntur. Palladium illae habentur salutis, spes futuri temporis. [2]) Hujus loci eam, quam superiora omnia moverunt, exspectationem disputatio ipsa longe superat. Sedes illae juventutis, quas ne adeant duodeviginti vel undeviginti annis minores, eo valere debent, ut ingenii animique juvenilis vires, priore institutione exseri coeptae, aequabiliter porro explicentur et ad eam nutriantur ac confirmentur cogitandi agendique stabilitatem, cujus participi *vitam* tribuas *propriam*. [3]) Haec autem vita praeclare describitur; sive potius conspiciendum praebetur, hanc adeo non eorum esse, qui omnia vincula respuere, αὐτάρκεις fieri, suis unice viribus confidere amant, ut contra juncta eadem sit cum amore et amicitia et rerum humanarum cura, nihil humani a se alienum putante, atque ex his radicibus succum et vigorem ducat. [4]) Quod

---

1) P. 144

2) P. 184.

3) Ipsae dicuntur *oefenscholen van zelfstandigheid* p. 228; unde patet quid H. de illis statueret, qui eas officinas esse putant, in quibus Theologi, JCti, Medici, tamquam fabri, artem discant! Vid. *Protrept. ad bon. art. Stud.* p. 13.

4) P. 211 sqq.

argumentum quo magis Heusdianum, eo uberius eoque ad commemorationis diligentiam difficilius absolvitur. Nam natura duce vincula haud abjicienda sed amplectenda esse, veram omnino hominis vim exseri constanti ejus in amore per totam vitam progressione, ab insito ei amoris sensu venerationem Dei, erga patriam caritatem, benevolentiam erga homines, veri bonique cupidinem, sensus generosiores omnes pullulare ostenditur: amoris exponitur cum vera libertate cumque philosophia conjunctio: justae declaratur institutionis Academicae ad istiusmodi sensus fovendos momentum: in germani philosophi optimi spectatur Christiani imago: eaque traduntur de philosophiae et religionis reconciliatione, quae tempus ut confirmaverit maxime, ita maxime celebrandum erit.

Haec Heusdius disserit, itaque a capite rem repetit in dialogo illo, qui epistolis inseritur. Quarum scribendi formarum quum alterutra recte uti difficile sit, alteram alteri includere quid dicam? Hujus autem conjunctionis difficultates ille facile superasse videtur, et, si mittendam censeas viri peracuti quaestionem, satisne conveniat forma dialogi epistolarum naturae, vix est, quod sive in harum sive in illius forma non multum probes. Adeo nihil impeditum, jejunum, a veri similitudine alienum, sed nativa facilitate, varietate, pulcritudine, probabilitate se commendant omnia. Has laudes vel in iis, quae levia videantur, animadvertere licet: in epistolarum v. c. magnitudine diversa quidem, at justa: in notatione temporis, qua non omnes scriptae occurrunt diebus aliquot continuis, singulis singulae, sed quaedam intermisso paucorum dierum spatio, nec matutinis horis cunctae, verum una, ac si argumenti

dignitas scribendi moram negaret, jam vesperi addita illi epistolae ponitur, quae mane scripta fuerat: in mentione non unius, sed plurium epistolographi cum sene suo colloquiorum, quo fit, ut neque illius, multum accurateque enarrantis, memoria incredibilis appareat, et *nos* binis saltem colloquiis, alteri in senis aedibus in multam noctem productae, alteri verno mane in amoenissima Hagana sylva habitae velut prassentes absimus. Sic enim dicendum, eaque scribendi referendique praestantia est, ut sermonibus nos interesse putemus et omnino mentem mirifice ad cogitandum intendi sentiamus. Sunt qui hoc Heusdiano tribuant Platonis studio ipsumque affirment penitus sese in dialogi Platonici naturam insinuasse. Cui sententiae hoc equidem addendum habeo, Heusdium hac in re haud fortasse minus assiduae debuisse opinionum suarum ordine exponendarum consuetudini. Hanc ei ab initio saltem Trajectini temporis ad illum fere annum fuisse constat, quo libros edere instituit. Multas adeo, singulis annis, disquisitiones in volumina referre solebat. Quae quum ita privatis usibus destinata essent, eadem ut *sua arcana* vocaret, satis ego in iis mirari haud potui disserendi ordinem orationisque elegantiam et progressionem stili; quin dramaticam saepe agnovi dictionis rationem, et loca legi de variis aequalium v. c. erroribus Demosthenea *δεινότητι* perscripta, intellexique omnino, multum scribendi consuetudinem in Heusdio item vi sua saluberrima minime caruisse. Quod autem ejus epistolas legentes, sermonum his enarratorum nos reapse auditores putamus, hoc non suavius ob sermonum gravitatem accidit, quam ob amabilitatem sermocinantium. Horum qui primas agit, senem refert, cujus a latere, quoad posses et liceret,

haud discederes. Quantus in hoc viro gravitati mixtus juvenilis vigor atque hilaritas: quam sana mens, sapientia saeculorum pasta, lente festinare edocta, bonum ubicumque agnoscens, nullam somnians in rebus humanis perfectionem, non tam ut prosit causis, quam ut ne quid obsit elaborans, res non ad vetustatis aut novitatis, sed ad bonitatis normam exigens: ut ejus tenent acute dicta, ac singularis placet in argumentis quibusdam brevitas: veluti de gradibus «illud — ait — *simpliciter*, *cum laude* et quidquid praeterea nominis est, abrogandum mihi videtur, scholam redolet, studiosis saltem non convenit omniumque minime iis, qui *summos* in sua disciplina *honores* consecuti sunt»[1]) — nihil amplius de ineptiis hisce, quibus adhuc laboramus: quam porro plenus ille candoris est, benevolentiae, patriae amoris, veritatis, pietatis: quanto, posthabitis impensis, totius hominis apte excolendi studio flagrat: omnino, ut Pauli effato dicam quod sentio, Christus in hoc viro ἐμορφώθη. Quid mirum, Heusdium aliquando scripsisse? «Senex in epistolis meum erat παράδειγμα·» addidit autem, quibus ipsius ignari intelligant, imaginem non omnino fictam, sed aliquatenus e noto ipsi exemplo ductam esse: «in multis ille mei similis est patris.»

Perspicuum est, hunc librum, etiamsi temporum opportunitate partum, non tamen, his mutatis, oblivioni mandari potuisse. Tempora, quibus prodiit ille, sic comparata erant, ut dubium relinqueretur, an impudentissimos clamores repressurae bonorum civium voces

---

1) P. 185.

fuissent. Sed quod Heusdius in Praefatione scripserat: «si quid senis sermonibus bonae frugis inesse censeretur, non illud paucorum dierum spatio concludendum, verum decem, viginti annis post eodem pretio aestimandum esse» id eventus egregie confirmavit. Exemplo sit Hofstedii Grootii oratio abhinc annum edita, qua Heusdianae de institutione *inferiore* opiniones ex hoc maxime libro ductae ludimagistris exponuntur, commendantur cumque Fenelonii conferuntur et Rossavii paedagogicis opinionibus.[1]) Praeterea huic libro neque initio nec postea, periculo ab institutione nostra per rerum publicarum conversionem pulso, sui defuerunt lectores, contra tot obtigerunt, ut jam sexto a prima editione anno tertia in lucem mitteretur, quum dudum ante duae ejus prodierant versiones Germanicae, altera a Weydmanno, altera a Kleinio confecta.[2]) Et omnino

---

1) Beschouwing van Van Heusde's denkbeelden omtrent het lager onderwijs: *eene voorlezing, den* 3 *Julij* 1840 *in de Algemeene Vergadering der Schoolonderwijzers Gezelschappen der Provincie Groningen gehouden door* P. Hofstede De Groot; exstat ea in *Tijdschrift voor Onderwijzers*, Gron. 1840, IV. Quod autem Vir Clar. p. 13 affirmat, operae pretium fore Heusdium comparare cum Grasero, id mihi quidem adeo persuasit, eum ut enixe rogandum censerem, ipse nobis hanc aliquando institueret comparationem. Nunc vero ne rogem, egregia facit, quae nuperrime prodiit, Viri Clar. scriptio: Over de verhouding van de Godsdienst en de Wetenschap tot het Onderwijs: *denkbeelden van Graser, Van Heusde, Cousin en Van Bommel, medegedeeld en vergeleken, door* P. Hofstede De Groot, Gron. 1841. — Hanc scriptionem utinam multi lectione frequentent indeque ad excellentissimum omnis institutionis propositum assequendum summaque virium intentione promovendum plurimum proficiant!

2) Briefe über die Natur und Tendenz des höheren Unterrichts — herausgegeben von Ph. W. Van Heusde. *Aus dem Holländ. frei übersetzt von* Leon Weydmann, *Prediger zu Monsheim*,

eruditissimis viris hoc opus admodum placuit, quorum Holtius, «quo tempore — ait — omnes de reformandis Academiis cum dedecore et invidia publice interrogabamur, Heusdius rem hancce gravissimam totam, ut Batavum hominem decebat et philosophum, in luce posuit.» [1]) Schwarzius vero ὁ μακαρίτης plurimum illud popularibus suis maximeque juvenibus commendavit, et locum commemorans de philosopho multum credendi, parum sciendi, omnia explorandi via ad sapientiam tendente, haec addidit memorabilia verba: «auditote, bonarum artium studiosi, nisi sophistas audire mavultis!» [2]) Patriis literis nostrates illud decori et ornamento censuerunt hujusque judicii illustre in vulgus notum esset testimonium, ni ipse impedivisset Heusdius. Sed friget omne laudis genus prae literis eorum, qui intimos animi sensus Heusdio aperientes, ea verborum vi, quae unius pectoris est, se affirmarent non doctiores solum sed etiam meliores a libri lectione discessisse.

Hic autem uberrimus lectionis fructus quibusnam ex scriptoris mente tantopere optandus est, quantopere juvenibus variarum artium ac disciplinarum studiosis? Ipse enim se amplius quid scribendo spectasse dicit, quam quod temporum momentis, illuc excitantibus, contineretur, nam in primis se librum scribere voluisse in usum juventutis,

---

Crefeld 1830. — Briefe über die Natur und Zweck des höheren Unterrichts — herausgegeben von Ph. W. Van Heusde, *aus dem Holländ. nach der zweiten Ausg. übersetzt von* J. Klein, *mit einer Vorrede begleitet von* F. H. C. Schwarz, Heidelberg und Leipzig 1830.

1) Orat. de *liberalitate majorum nostrorum, quae Academiis instituendis augendisque cognita est*, p. 22 et 68.

2) *Heidelb. Jahrb.* 1829, p 819.

praesertim Academicae, quem hi horis subcesivis inspicerent, vel etiam, in bono perseverandi gratia, lectione frequentarent.[1]) Hoc autem spectans, vide quam opportune Epilogum illum operi adjecerit, quo, non aliena sed sua ipse persona prodiens, juniores amicos et discipulos alloquitur. Ecquis generosus juvenis non penitus devinciretur libro, Heusdii audita ad *sese* ex Helvetia voce? In summis Alpinae terrae deliciis vir patriae amantissimus et hanc cogitat et juventutem Academicam in spem ejus maturescentem. Hujus in veri bonique studio progressus quo arctius cum patriae salute nexos videt, eo minus sibi a scribendo temperare *illic* potest, ubi totum animum ad amorem et amicitiam explicitum sentit.[2]) Agit de consilio epistolarum, quas editurus est: quidquid natura locorum, in quibus felicissimus cum proximis cognatis degit, praecepti exemplive suppeditat, unde juvenes ad vires suas optime exserendas discant, suavissime iis impertit efficacissimeque commendat: dicit de libertate et veritate hujusque vim in Demosthene contemplandam praebet: ne sibi quidem ipse parcit, sed, e suo exemplo si qui forte proficere velint, suos ipse errores et horum pellendorum conatus insigni candore et benevolentia enarrat: tandemque a gravissimis et maxime sublimibus argumentis, a Socrate quoque et Platone, ad illum evehit, quem dudum Platoni suo longe multumque anteponebat, atque, «sublimis philosophe — inquit — applaudimus tibi tam praeclare monenti. Sed tu postquam de vita decessisti, genus humanum ideas tuas divinas in uno, quem terra vidit, perfecte

1) *Voorberigt der 3e uitgave der Br.* p. X.
2) P. 303.

vigentes adspexit homine; *veritas* et *integritas* lucebant in imagine Dei et *amor* verbis ejus et actionibus vim vigoremque conciliabat. Hujus ut similes fiamus, tua quoque nobis inserviet philosophia. Sed *illam* nobis contemplandam praebere et *hoc ipso* nos integros et sanctos ad Deum adducere, philosophorum omnium sublimitate princeps, id tua philosophia efficere non poterat. » [1])

Hunc librum patriae dicavit Heusdius, et, quod intimis ejus amicis haud accidisse forte et casu videbitur, die insignivit 26 m. Januarii a. 1829. [2]) Voluitne eo ipso die, quo quinque lustra instituendâ juventute expleverat, publicum dare suae erga patriam caritatis documentum?

Ab *Epistolis de natura et consilio institutionis superioris* alterum haud separandum est Neerlandicum opus, quod Heusdius, nondum absolutis *philosophiae Platonicae Initiis*, edere coepit et *Scholam Socraticam sive philosophiam saeculo undevicesimo aptam* vocavit, quodque cum utroque illo naturâ conjunctum esse voluit. Ipsum enim audiamus dicentem: « Epistolarum epilogo potissimum in cogitationem veni de altero provectioribus Academiarum civibus libro scribendo, et prouti antea ad Alpium radices junioribus meis amicis et discipulis de Helvetia et vero de veritate ac libertate scripseram, ita nunc mihi de philosophia agendum esse putabam. Multa huc pertinentia in *Initiis* meis inque ipsis illis *Epistolis* dissserueram, sed datâ operâ cum iisdem inquirere quid *vera* philosophia sit, qualis se conjungi cum *vera* religione sinat et sic indole ipsa sua a superstitione,

1) P. 330.

2) *Voorberigt der 1e uitgave.*

ἀπιστίᾳ, in primisque hoc tempore ab omnibus fanaticis studiis nos tueri possit, haec — mihi ajebam — apta iis foret prioris libri continuatio. Atque illud facere orsus et porro facturus, utiliter utrumque opus ita lectum iri judico, ut prius ad posterius habeatur praeparatio quaedam. » 1)

Iis, qui in hodierna philosophiae conditione haud acquiescebant, Heusdium annumerandum esse, supra patuit; vidimusque, quos ille fructus ad hanc emendandam e Socraticis Platonicisque principiis, ad nostram aetatem apte accommodatis, sperare soleret. 2) Hac spe ductus librum volebat, istiusmodi continentem e schola Socratica sapientiae praecepta, quibus semper obtemperandum fuisse, quae semper auctoritatem habitura, hodie vero plurimi facienda esse credebat. Et quandoquidem Socratica ratione in inquirendo omnique consilio exsequendo versari conabatur, opus hocce eo insignivit, quem memoravi, titulo. 3)

Jam huic Socraticae rationi Heusdius consequens esse monet, ut iis, qui statim accipere gestiant, quid sit philosophia, non satisfiat, sed contra ab artibus et disciplinis diligenter explorandis et vero a via cognoscenda, qua his ad philosophiam et sapientiam nos duci oporteat, initium petatur. 4) Hinc ipse ab *Encyclopaedia* tradenda orditur, cui, anno 1834 et 1835 duobus voluminibus editae, accuratior argumentumque plene exprimens titulus est: *Specimen philosophae dis-*

1) *Voorberigt der 3e uitgave*, p. XV.
2) P. 144.
3) *De Socratische School of Wijsgeerte voor de negentiende Eeuw*, p. XII et XV.
4) Eod. p. XV.

quisitionis de mentis humanae facultatibus earumque consensione ad explicandam quaestionem: «quaenam est mutua conjunctio ac veluti cognatio omnium artium et disciplinarum?» 1)

Jucundum est magnum virum de sese loquentem audire. Hoc nomine Heusdius suis saepe et auditoribus gratum fecit et lectoribus, quotquot nativam ejus in hoc difficillimo argumento simplicitatem sentire, consiliumque perspicere poterant alios suo exemplo hortandi, monendi, docendi. Eodem quoque nomine Introitus *Encyclopaediae* placet, ubi de communi artium disciplinarumque vinculo et consilio suarum ipse narrat opinionum historiam. Mature illuc animum adverterat. Jam Erasmiani Gymnasii discipulo effatum arridebat Ciceronis, «omnes artes, quae ad humanitatem pertineant, habere quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se contineri omnes» ac, licet juvenis in varias deinceps sententias abiret, disciplinarum tamen majus quoddam propositum sibi animadvertere videbatur, quam ut, ubi subsidia vitae afferrent, operariorum ipsae artibus similes essent. Verumtamen in iis ordinandis et mutuo connectendis haerebat, omniumque minime historiae et philosophiae cum reliquis artibus disciplinisque rationem ac necessitudinem perspicere poterat. Mox juvenile inquirendi studium suo quisque modo promovebant Baco, Rossavius, D'Alembertius, ex quibus Baconi praesertim, mentis quippe facultates hîc diligentius

1) De Encyclopedie. *Proeve van Wijsgeerige navorsching omtrent 's menschen zielsvermogens en derzelver overeenstemming; ter beantwoording der vraag* «welke is de verwantschap, welk het onderling verband aller kunsten en wetenschappen?»

attendenti, multum se debere sentiebat. Longe autem longeque aberat, ut investigationis diligentiâ ei plana fierent omnia. Sed, quum eodem tempore veterum scriptis operam daret haud intermissam eamque pro augescente cum illis familiaritate intenderet, ultimis vitae Academicae annis sic in antiquorum, Xenophontis maxime atque Platonis, aetatem, patriam, omnem cogitandi loquendique rationem transferebatur, ut hinc aegerrime se alio abduci sineret. Tum igitur Baconem, Rossavium, D'Alembertium, Encyclopaedistas, artes adeo et disciplinas harumque propositum et conjunctionem non jam cogitabat. Sufficiebat ei in praesens Socratica philosophia, in regiones ipsum traducens pulcri et boni, in regnum veritatis et libertatis moralis, animumque simul pulcri et boni et praesertim veri amore incendens. In his autem defixo, maximeque Socratis perpendenti apud Platonem sermones de sublimi musicae ac multo sublimiore geometriae et dialecticae proposito, tum speluncae imaginem hujusque in disciplinas translatae vim plenius assequenti, suavissima illa spes interdum affulgebat fore ut ejusdem philosophiae studio serius ocius Ciceronis sententiam et veram encyclopaediae naturam intelligeret.

Et hanc quidem spem tandem eventum non omnino fefellisse opinabatur. Cujus opinionis manifesta indicia eo jam reperiuntur *Initiorum* loco, ubi de communi quaerit artium doctrinarumque vinculo, et *interpres Platonis* viam indicare conatur, qua, hujus adhibita philosophia, ad veram pervenire liceat encyclopaediam.[1]) Attamen, quum accommodare optima, inde

1) *Init.* II, 2, 32.

decerpta, ad *nostram* artium et disciplinarum colendarum rationem ac *nostro* aevo novam encyclopaediam adumbrare instituebat, dubius vel quinquagesimo tertio aetatis anno haerebat, satisne qui de encyclopaedia scriberet aptus et maturus esset. Nam hujus argumenti fines latissime proferebat. Etenim inquirendo non id tantummodo egerat, ut artium et disciplinarum *κυκλὸν* mente comprehenderet, sed multo magis optaverat, ut fructus hujusce inquisitionis, interiorem *παιδείας, verae educationis et institutionis*, cognitionem sibi aliquando compararet aliisque impertiret. Hoc enim, ipso judice, non minus quam illud ad encyclopaediam pertinet, cujus idcirco munus existimabat vim habere ad genus humanum ab animo pariter atque ab ingenio et sensu religioso excolendum et emendandum. Itaque ab hac quoque parte exponere illustre argumentum avebat et sic prodesse juvenibus, ne, multorum instar, in studiis ac vita inconsulte versarentur, sed firme progredi, unum aliquod idque praeclarum propositum perpetuo intueri, et huc facultates suas apte pleneque referre studerent.

Jam memoranti mihi alterum Heusdianae *Encyclopaediae* titulum in mentem veniebat Socratis apud Platonem effatum: *ἀλλὰ δεῖ, ὦ Γλαύκων, ἐκεῖσε βλέπειν. Ποῖ; ἦ δ' ὅς. Εἰς τὴν φιλοσοφίαν τῆς ψυχῆς, καὶ ἐννοεῖν ὧν ἅπτεται καὶ οἵων ἐφίεται ὁμιλιῶν, ὡς ξυγγενὴς οὖσα τῷ τε θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ τῷ ἀεὶ ὄντι.* 1) Hoc enim egregium praeceptum ut exordio operis urgetur,

---

1) *Socrat. School* I, 29. Cf. IV, 176. De iis, quae modo narravimus, vid. Op. prooemium.

ita ad omnem porro applicatur disquisitionem eamque mirifice tamquam fecundat. Ex hominis animo artes et disciplinae ducuntur. Eo partae, insito pulcri, veri, boni amore in lucem editae proponuntur. Quidquid deinceps de earum origine, principiis, natura et ratione, usu, proposito disseritur — haec enim et singulatim in peculiari de artibus disciplinisque loco et potissimum investigantur — id igitur adeo cum illo fonte cohaeret, ut, quum omnium in summa etiam varietate necessitudinem aperiat, pulcerrimum simul earumdem rite cultarum et opportune adhibitarum consensum declaret ad communem hominum salutem provehendam. His congruenter rejiciuntur humilia quaevis et abjecta, et, quandoquidem principio propositum convenire oportet, hoc prodit sanequam sublime, ipsum pulcrum, verum, bonum, arctissime revera mutuo junctum, quo ut maxime enitantur illarum studiosi constantissimeque se omni mente et cogitatione convertant, ita maxime suam ipsae vim exserant saluberrimam. In his omnibus potissimum advertit vera, quae pariter ex eodem fonte manat, educationis et institutionis ratio: quemadmodum, quum sensus hominis internus primum pulcri amore explicetur, artes ad hunc amorem alendum et regundum valere debeant: quanta in ipsis praeparatio sit ad earum disciplinarum studium, quibus, vehementem quippe veritatis cupidinem suscitantibus, porro oporteat internum illum sensum, suae naturae convenienter, roborari: quam denique sic informati et nutriti maturuerint, ut tandem ex justo principio et justa ratione et ad justum propositum operam dare iis doctrinis discant, quibus dein in civitate rite colendis et adhibendis eximie humanitatis causae prodesse possint. Has enim doctrinas,

id est, physicas in primisque medicas, juridicas maxime politicas, theologicas maxime morales a disciplinis proprie sic dictis sive *puris* distinguit Heusdius, easque *practicas* vocat ob vim earum in homine summam et continuam, *superiores* autem appellat, quia argumenta complectuntur omnium maxime sublimia, *universum*, *civitatem*, *hominem*, ideoque verissimam hominis felicitatem, libertate quum externa tum interna tuenda et vindicanda, incredibiliter promovere queunt. [1]) Et haec nemo non videt quam apta sint ad vim et vitam his doctrinis conciliandam. [2])

Sed Socratis, quod attuli, effato dubitem an nulla libri parte evidentius satisfiat quam postrema, quae praecipue est de philosophia. In artium disciplinarumque κύκλῳ Heusdius amplissimas partes tribuit philosophiae et historiae. Hinc absoluta fere reliqua disquisitione de utraque agens, eo tandem lectores ducit, quo, si philosophiam cogitamus, sero demum se venturum esse exordio monuerat. Nisi forte dicere praestat, eum ab initio inde ac tota dein investigationis via illuc duxisse, quo tandem adductis non omnino insolitum offertur spectaculum. Nam philosophiae quidem plenae sunt superiores disquisitiones, et ex his ipsis hîc, partem certe, colligitur quid sit philosophia. Prodit enim illa tamquam sapientiae studium et *inesse* animadvertitur in animo humano, cujus ad φιλοσοφίαν contemplandam et initio invitabamur et alliciebamur perpetuo:

---

1) Cf. *Overzigt der Encyclopedie*, in *Socrat. School*, 2e uitg. IV, XIX seq.

2) *Br. over het beoefenen der wijsg.* p. 61.

eadem porro, quatenus perspectis artium et disciplinarum principiis, ratione, proposito has *recte* colere docet, earumdem parens habetur: quin in maximo earum *κύκλῳ*, quem historia, testis temporum, lux veritatis, totum comprehendere et illustrare ostenditur, ipsa apparet medium locum tenens cunctaque hinc dirigens: tum vero, quod summum est, artibus et disciplinis optime utens, tamquam *παιδεία* proponitur et initiatio quaedam in sapientiae sacris. 1) Hanc philosophiam, in superioribus sensim indicatam, hîc explicitam et, adhibita etiam philosophi imagine, illustratam Heusdius junioribus suis amicis, quos perpetuo in hoc opere alloquitur, summo studio commendat, uberrimamque ad praestantem illam judicat utilitatem, quam eum scribendo libro spectasse vidimus.

Brevi post editam *Encyclopaediae* partem priorem virum in primis doctum et perspicacem dixisse accepi, se judice, eam non antiquo, Socratico, habitu prodire debuisse: fore enim, qui propterea librum ad se et ad hanc recentiorem aetatem pertinere negarent. Acuta profecto sententia, cujus in memoriam equidem, variorum exploratis de hoc opere judiciis, identidem redeo. Etenim non tantum exorti sunt in hunc modum loquentes, verum alii, quibus illud multis de causis cognitu perdignum videbatur, illic interdum dissenserunt, ubi, si minus Socratis et Platonis opinionibus fultam credidissent disquisitionem, proniores fortasse ad assentiendum fuissent. Quidquid utriusque philosophia praeclari habet, si quis ita id convertere in nostrae aetatis usus

1) *Socrat. School* II, 304. Cf. III, 180 et *Orat. Saec.* p. 12.

instituat, ut antiqui illius fontis bonitate magis delectari quam ex suo ipsius ingenio recentiorumque scriptis haurire videatur, nae verendum est, ut omnibus persuadeat. Discere ab antiquitate, quam vario nomine a se superari et jure tenent et perquam ridicule gloriantur recentiores, interdum tam molestum nobis accidit, quam viro saepe displicet proficere a juvene. Non tantum quid sed etiam unde illud et a quo sibi afferatur, quaeri a multis solet. Ponamus Heusdium *Encyclopaediam* suam non analytica, sed synthetica ratione, non insertis e Platone fabulis atque traditionibus, sed allatis suis ipsius ex hoc fonte conclusionibus scripsisse: ponamus eum operis *Synopsin*, quam, rogantibus Instituti Francici sociis, composuit,[1]) ita ab initio elaborasse, ut minore etiam cum veterum mentione totum argumentum explicuisset; procul dubio superfutura, pro diverso ingeniorum animorumque cultu, in variis difficillimi argumenti locis dissensio fuisset; sed ab altera parte, nisi me omnia fallunt, alia quaedam citius sese commendatura leniusque in quorumdam mentes se insinuatura fuissent. Quid? si praeterea ab omni abstinuisset recentioris philosophiae reprehensione, conjuncta illa licet cum diserta gratiae haud paucis recentioribus philosophis habendae significatione;[2]) si non invectus in metaphysicam esset. Nam si qui forte existi-

---

1) Titulo Esquisses philosophiques, *dédiées à l'Académie des Sciences morales et politiques*, *section philosophie*, par Ph. Guil. Van Heusde, membre correspondant de l'Institut de France. Haec autem Synopsis inserta est volumini I Commentationum a Sociis Exteris conscriptarum, et patrio sermone praemissa est volumini IV *Scholae Socrat.* ed. sec.

2) *Socrat. School* I, XIII.

ment, eodem paene rediturum fuisse, opusne hoc an illo habitu prodiisset: Platonis enim nomen et laudes sive ubique sive nusquam in eo exstarent, fontem tamen variarum, a vulgaribus diversarum, opinionum statim repertum iri: id equidem non prius credam, quam mihi constiterit, immerito Heusdium scripsisse, se a Socrate et Platone indicia tantum accepisse, fierique posse, ut quis omnes Socratis apud Xenophontem sermones omnesque Platonis dialogos perlegisset, neque ullam tamen sibi comparasset encyclopaediae notitiam.[1]) Hoc minime fugit Leutbecherum, qui *Scholam Socraticam* propterea a se Germanice versam esse affirmavit, quia *Encyclopaediam* tum juvenibus utiliorem, tum aptiorem ad artium disciplinarumque cultoribus viam indicandam omnium convenienter ipsarum naturae, proposito, mutuae conjunctioni colendarum, tum vero liberiorem a systematis vinculis frustra quaereres. Nam — inquit ille, cujus quidem verba, utpote Heusdio probata, in alteram translata sunt *Scholae Socraticae* editionem, — «licet — ait — Platonis philosophia fundamentum sit harum disquisitionum, tantum tamen abest, ut eâ unice nitantur, ut studium Platonicorum scriptorum hujus *Encyclopaediae* usu non solum non inutile evaserit, verum contra suscitetur denuo et fructuosum fiat, quum hoc ubique eluceat scriptoris consilium, ad primarium redire omnium artium et disciplinarum fontem, ipsam hominis mentem.»[2])

---

1) Eod. I, 18. Cf. Praef. *Spec. Crit.* p. XXII, «e divini ingenii cogitationibus, nisi placita — certe placitorum *initia et quasi semina* suscepturum.»

2) Vid. p. IX sqq. hujus sec. edit. Titulus versionis, cujus e

Attamen, ut dicam, quod sentio, quidquid animadversionis alia scribendi forma anteversura fuisset, nollem tamen sic illam adhibuisset Heusdius, ut *suam* plane neglexisset. Ille inquirendo et observando, quam ponendo et demonstrando, aliis praeire malebat. Afferebat libentius, quod aliorum mentes excitaret, moveret, eo converteret, ubi praeclari quid inveniendum esset, quam inventa ipse sua sic ab omni vindicabat dubitatione, ut in his amplectendis jam porro subsisteretur. Huic autem genio in *Encyclopaedia* quoque indulsit, quam neminem condiscipulorum meorum diligentissime legisse opinor, quin nostrum ubique agnoverit praeceptorem, atque insuper senserit, quanti ejus institutio, scriptorum meditatione confirmata, sibi perpetuo futura sit.

Id ipsum de sese latere noluit, verum haud ita diu ante obitum mihi significavit Suermannus ille, qui florentissima aetate patri collega, Academiae Trajectinae doctor ostensus potius quam datus fuit. Hic vir Clar. eximiis ingenii animique virtutibus praeditus, juvenilis aetatis commentationibus exteris etiam notus, antequam in disciplinas physicas et medicas incumbere coeperat, publice privatimque Heusdii usus erat institutione, nec postea ejus aut consuetudinem neglexit aut ignoravit scripta. Quamobrem jucunda mihi et cetera et haec ejus verba accidebant. «Physicas disciplinas Heusdius magni faciebat, et ad has medicinam quoque pertinere, multis ille medicis melius perspiciebat. Singulas disciplinas eo pluris

---

Praefatione haec ducta sunt verba, est: *die Sokratische Schule, oder Philosophie für das neunzehnte Jahrhundert, von* Ph. W. Van Heusde. *Erster Theil:* Die Encyklopaedie. *Uebersetzt von* Dr. S. Leutbecher. 2 St. Erlangen 1838.

aestimans, quo propius ad veram hominis felicitatem et perfectionem moralem promovendam referri possint, medicinam quidem physicarum omnium principem vocabat ejusque studiosos libentissime hortabatur, ut optima eam colerent ratione, tenentes, ipsam a sedula naturae investigatione et observatione ordiri, redire ad hominem oportere. Haud multis quidem harum disciplinarum studiosis initiari contigit Heusdii liberalibus minimeque e medio petitis opinionibus. Attamen sunt in hisce, quorum in animis ille ardorem earum justa omnino ratione colendarum suscitaverit. Sunt, qui numquam non grati fateantur, Heusdio se ad saniores pervenisse notiones de suae non tantum, sed affinium etiam disciplinarum studio et proposito.»

Redeo unde deflexi; si modo deflexi illius commemoratione viri, qui sui bonis omnibus ut exspectationem moverat summam, ita tristissimum reliquit desiderium, quem Heusdius plurimum dilexit, cujusque haud dissimiles alumnos literis et historiae ad *προπαιδείαν* plures, nec frustra semper, exoptans praestantissimarum disciplinarum studiosos, addebat fere *respice finem*.

Sed quandoquidem de Heusdianae institutionis, scriptis confirmatae, momento suspicabar, illud ne mittamus, in quod, nisi sponte tua incideres, ipsi te adducerent scriptores. Post Heusdii enim *Encyclopaediam* duae in patria nostra prodierunt *Encyclopaediae* peculiares, quarum altera jurisprudentiam complectitur scriptaque est a Clar. Den Tex, juris in Athenaeo Amstelodamensi Professore. Hic, quid de praeceptoris opere et universo et vero parte ea, qua in disciplinas juridicas maximeque politicas inquiritur, statueret, dudum, conscriptis relationibus,

palam fecerat.[1]) Quibus quidem lectis, illustrius non requirebas argumentum, ut, quum de ejus consilio Encyclopaediae edendae percrebruerat, statim conjiceres, qualem illa, omnis Heusdianae disciplinae habita ratione, referret scriptorem. Hanc autem conjecturam eventus minime fefellit. Quin ipse Texius, quod animadversione perdignum est, eam rem non lectoribus reliquit e libro suo efficiendam, sed eos, ut animum adverterent efficerentque, tamquam disertis verbis monuit. Sic enim in Epistola ad Clar. Van Hall, operi praemissa, loquitur: «de Heusdio dico hac occasione, quia ipsa haec Encyclopaedia, quantum ejus disciplinae debeam, et quae ejus sit in eas etiam doctrinas, quas ipse scholis scriptisque non explicabat, efficacia, ostendere posse videtur.» [2]) Jam quomodo hoc illa ostendit? Frequentine locorum e diversis Heusdii scriptis mentione? an verò interiore disquisitionum partiumque rite vinctarum ratione? Equidem et hanc in primis attendendam censeo, et spectandas animadversiones de encyclopaedia, de arctissima doctrinarum physicarum, juridicarum, theologicarum cum omni hominis libertate conjunctione, de sensibus homini ingenitis, de juris disciplinae initiis atque progressibus ex ipsis ingenii humani facultatibus et modo, quo hae sensim se explicuerint, declarandis, neque vero disputationem mittendam puto de justitiae

---

1) *Alg. K. en Letterb.* a. 1834, D. II, p. 362; a. 1836, D. II, p. 355 et *Bijdragen tot Regtsgel. en Wetgev.* door C. A. Den Tex en J. Van Hall, a. 1838, N. 1, p. 134. Idem magistri de *philosophia justi* opiniones ex *Init.* et *Schola Socrat.* ductas adumbravit in *Kritische Zeitschrift für Rechtswiss. und Gesetzg. des Auslandes*, herausg. von Mittermaier und Zachariae, a. 1839, 1, p. 57.

2) P. XII.

apud veteres natura, de juris philosophiae apud eosdem progressibus [1]), de academicae institutionis quum omnibus tum futuro JCto convenientissimae natura, ambitu, proposito, eo potissimum referendis, ut hic inde non tantum doctrinae copia instructus, sed ad omnem praeterea vitae cultum et humanitatem recte institutus prodeat. Quam quidem humanitatem qualem intelligat quamque late interpretetur scriptor, sponte patet, quum memoratis turpibus, quae causarum patronis aliquando objiciuntur, vitiis, horum labe eos immunes fore contendat, qui ad illam sint eruditi. [2])

Quod autem ad alteram *Encyclopaediam* attinet, in argumenti, formae, consiliique *praesentis* diversitate, haec pariter atque illa vim testatur institutionis illius, quae docendo scribendoque eo semper spectavit, ut, quaecumque ab optimis ejus alumnis inde susciperentur, horum propria fierent, coalescerent omnino cum singulorum mente, ac libere deinde et pro variis uniuscujusque facultatibus varie sese exsererent. Triennium ante editum opusculum in *Symbolis theologicis*, quas Groninganis potissimum theologiae Professoribus acceptas referimus, haec legebantur. «Introitu in disciplinam nostram vere philosopho fieri potest ut diu careamus. Fortasse tamen hunc nobis theologus largietur in Heusdii schola τοῦ βαθύφρονος hujusve scriptis eruditus. Ipse viam jam praeparavit in Epistolis *de Institutione*

---

1) «Der Verfasser — inquit Mittermaier — selbst gründlich classisch und umfassend gebildet — entwickelt geistreich und klar die Fortbildung der Rechtsphilosophie, vorzüglich auch mit Rücksicht auf die Ansichten der alten Völker.» Eod. l. a. 1840, 2, p. 313 seqq.

2) P. 546.

Superiore et in *Schola Socratica*, quatenus quidem *illic* philosopha ratione vim explicat *historicae* institutionis ad hominem et genus humanum ita excolendum, ut sensu Christiano imbuatur ac nutriatur, *hîc* vero omnium artium atque disciplinarum cognationem et vinculum pariter philosopha ratione indagat et exponit, et sic tam indicia tradit, unde proficiatur ad justam theologiae cum omni nostra arte et disciplina conjunctionem, quam exemplum praebet, quemadmodum diversae quoque theologiae Christianae partes possint ex uno principio duci, evehi ad unum propositum.» [1]) Haec igitur illis in *Symbolis* disputantur, quarum scriptores sive excitant ad investigandum, — quomodo philosophus Christianus libere nullisque vinculis impeditus in interiore naturae humanae contemplatione versari possit, quam vim haec ejus philosophia in ipsa rei Christianae contemplatione habere et possit et debeat, quomodo theologia et ethica philosopha cum Christiana possit ac debeat conjungi, quid philosophia Christiana sit et res Christiana philosopha, atque utraque quemadmodum et distinguenda et arctissime connectenda sit, — sive mentionem vel sui faciunt vel librorum a se editorum, Heusdii nomen perhonorifice usurpant, institutionem, scripta, *Encyclopaediam* in primis celebrant atque commendant [2]); quarum denique e scriptoribus Paravius meus haec mihi nuperrime scripsit: «de Heusdii si quis quaerit in nostram theologiae colendae tradendaeque rationem meritis, sunt haec sane varia neque ad nos

---

1) *Waarheid in liefde*, a. 1837, p. 595.
2) Eod. p. 792, a. 1838, p. 593 et a. 1840, p. 597 et 607.

tantum Professores, sed, assidua ejus operum commendatione, ad discipulos etiam nostros pertinent, quorum optimus quisque ea opera diligentissime legit. Verum ut, missis ceteris, afferam quod praecipuum est, Religionem Christianam institutionem, ac summam quidem et perfectissimam generis humani a Deo datam institutionem esse, hoc vero ab omni parte clarissima in luce ponere conamur. Et quandoquidem Heusdius tum sua historiae explicatione progressionem humanitatis perspicue animadvertendam praebebat, tum Platonicis suis iisque vere philosophis disquisitionibus intimam hominis et humanitatis instituendae naturam lucidissime exposuit; illo profecto nemo magis nos praeparavit et juvit ad perspiciendum aliisque declarandum, quomodo Deus generi humano, ex quo illud tempore maturescere summae suae institutioni incipiebat, per Jesum Christum institutionem largitus sit omnium omnino perfectissimam; qua homines informentur ut vita communi conjuncti, sibi invicem bene volentes et bene facientes, vivant, prouti a Christo institutos Dei liberos decet, ad Patris sui sanctitatem et sapientiam et vero amorem enitentes. Haec est Heusdii vis in nostris ipsorum sententiis theologicis. Sed huic nequaquam cedit vis ejus in nostra juventutis instituendae ratione. Non aliter enim atque ille solebat, nos conamur et ab ingenio et ab animo juvenes excolere. Itaque, quod Deum Christumque facientes videmus, id imitari, summam cum amicis nostris institutionem communicare studemus. » Jam harum literarum scriptori ejusque collegae Hofstedio Grootio — Oordtius enim, diligens ille laborum consiliorumque omnium socius brevi ante Leidam migraverat — illis igitur duumviris theologiae in Academia Groningana

Studiosi nunc *Encyclopaediam* debent *Theologi Christiani*, *scholarum* quidem *in usum delineatam*, sed auctius, ni fallor, et in variorum usum aliquando prodituram. Quod si qui, neglecto hoc editorum consilio, eam paulo accuratius legerint, non vereor, ne immerito superiora omnia a me prolata esse censeant. Nam encyclopaedia hîc sensu *παιδείας* accipitur, atque *παιδεία* intelligitur theologi, doctrinarum ope absolvenda. Et diversis theologiae partibus istiusmodi vinculo nexis, quod rei naturae unice convenire videtur, spiritum, ut ita dicam, et vitam indit perpetua Jesu Christi contemplatio. Hinc proficiscuntur, ad hominem vero redeunt singula et universa. Vita, quae in Christo vigebat, quo modo doctrinarum ope quam intelligentissime theologo alenda et fovenda sit, ut, quo ipse flagrare coeperit, eo alios deinde per Christum incendat sublimi *τῆς Θεῷ ὁμοιώσεως* amore; hic igitur cardo videtur, in quo omnia verti cernimus. Meum non est, dijudicare opusculum; quin, qualiscumque tandem mea fuisset de ejus necessitudine cum omni Heusdiana disciplina suspicio, ne hanc quidem, in scriptorum silentio, proferre ausus essem. Sed nunc, quum ipsi haud minus, quam Texius, clament, quid alii taceant?

Encyclopaediam Heusdius in hac finiverat quaestione: Quid est metaphysica? Quocirca in id argumentum tertio *Scholae Socraticae* volumine paulo post inquisitum iri vulgo putabant. Neque hoc neque illud obtinuit. Nam, quum a. 1836 ultimum editum erat *Initiorum* volumen, proximo anno tria patrio sermone prodierunt *Specimina philosophae disquisitionis in linguis;* quae primum separatim typis mandata, mox rectius dicta sunt *Scholae Socraticae* volumen tertium,

et hoc quoque nomine in altera veniunt hujus operis editione. Credebat Heusdius, principia antiquae illius philosophiae eo quidem modo ulterius explicita et ad nostram conditionem accommodata, quo modo ipse utrumque tentaverat, novam posse artibus disciplinisque et per eas homini veluti vitam conciliare. Verumtamen erunt — ajebat — qui haec principia magni licet aestimantes, excogitata tamen a *philosophis* dicant, quibus profecto non detur errorum esse immunibus. Et hac potissimum de causa illi, jam dudum suspicato eadem principia in linguis quoque inveniri, quo ipsa naturae judicio firmaret et tamquam sepiret, placebat *hic* ea cum lectoribus indagare. [1]) De tempore, quo in hanc inciderit suspicionem, ipse nobis annos indicare videtur conscriptorum *Initiorum* et *Encyclopaediae.* [2]) Quamquam opinor equidem, tum in primis maturuisse ea, quorum elementa multo ante conceperat curioseque foverat, etsi, quo ducerent eadem, non semper sibi plane conscius. Causa haec est. Philosophi linguarum studii, quod tertium hocce *Scholae Socraticae* volumen probat, vestigia quaedam indaganti mihi occurrerunt longe antiquiora. In Oratione de *Antiqua Eloquentia cum Recentiore comparata* a. 1804 habita, haec, injecta recentioris aevi mentione, leguntur: «Ipsae linguae, pulcerrimi illi ingenii humani fetus, eadem diligentia examinantur, ad idem propositum adhibentur: adhibentur tamquam specula, in quibus mentis humanae primas notiones, nativas opiniones, ipsum opinionum progressum,

---

1) *Br. over het beoefenen der wijsg.* p. 62.
2) *Socrat. School* III, 7 et 8.

cursum, variam viam, diversitatem omnem dilucide ac distincte adspiciamus.» [1]) In *praeceptis Rhetoricis* ante a. 1810 traditis, linguarum, de quibus separatim agitur, summopere commendatur studium, in quod quippe si multi incumbere, si linguas observare et considerare, quam fingere, quam systemata excogitare et ad haec omnia contorquere mallent, non tantum in pauciores inciderent errores, sed etiam efficax ad hominem populosque plenius cognoscendos et vero artes doctrinasque provehendas sibi pararent instrumentum. In commentariis manu scriptis multa inveniuntur e linguis illustrata saepeque hic fons aditur rei confirmandae gratia, quam scriptori aliunde notam videas. Quid? quod illic vocabulorum *denkbeeld* et *voorbeeld*, quae laudato *Scholae Socraticae* volumine ad Platonicam idearum doctrinam illustrandam afferuntur [2]), prius jam a. 1818 simili consilio exploratum invenias? In Oratione de *pulcri amore*, eodem anno pronuntiata, pariter linguarum observatio urgetur; namque «naturae judicia continent. Sic apparebunt nobis in homine divinae originis indicia, aequi justique sensus, boni verique appetitus, tum vero, quo nihil divinius esse potest, pulcri moralis amor.» [3]) — Hinc non temere mihi concludere videor, Heusdium mature omnino attigisse, et, augescente rerum intelligentia, diligentius latiusque tractare coepisse illud studiorum genus, in quo ne disjunctas semper pareret animadversiones, sed seriem aliquando proferret obser-

1) P. 68.
2) III, 48.
3) P. 23.

vationum arctissime cohaerentium et argumenta gravissima spectantium, confectio fecit *Initiorum philosophiae Platonicae.* Quod quomodo sit intelligendum, lectores ab ipso velim Heusdio accipiant. Agit eo, qui huc pertinet, loco de Cratylo Platonis, monetque hac opportunitate, saepe etymologos non, rebus perspectis, earum in vocibus imagines attendisse, sed in voces continuo veluti venationem instituisse, ut nullam non obviam et ipsam explicare et inde demonstrare opiniones suas niterentur: hinc perturbata omnia contractamque etymologiae infamiam quamdam, cujus ipsa adeo linguarum philosophia particeps fuerit: oportere autem, ad suum elegantissimae disquisitioni honorem restituendum, secundum praeceptum Platonis non ex imagine disci et imaginem et veritatem, sed ex veritate et ipsam effici et imaginem ejus, si ei sit congruenter efficta. Tum vero « ego — ait — quo magis me insinuare cogitando scribendisque *Initiis* in interiorem Platonicae philosophiae rationem conabar, eo crebrius mihi vocum in mentem venit, quae in antiquis nec minus in recentioribus linguis id plane videbantur exprimere, quod longa disputatione explicuit Plato. Veluti, ut his utar, sexcenties usurpaveram dicendo scribendoque voces *waarheidsliefde*, ὄργανα, *zintuigen*, *waarheidszin*, *oordeelen*, *κρίνειν*, *cernere*, *putare*, *cogitare*, *onderwijzen*, *enseigner*, similes alias innumeras; usurpaveram autem, ut omnes solent, vim earum propriam non magnopere attendens. Nunc vero Platonis exquirens placita de principio cognitionis philosophiaeque summo, quod veri amor est, de sensibus et quo per eos modo res cognoscamus, de sensu interno et quid sit discere, quid judicare, quid item docere, quaenam adeo et quales

sint dialecticae methodi primariae, his igitur de rebus placita exquirens tradensque Platonis, attendere nunc demum vim vocum illarum coepi. Sic usu ipse meo didici, quid esset tandem Platonicum illud, non a verbis ad res, sive ab imaginibus ad veritatem, sed contra a rerum intelligentia ad verborum observationem, a veritate perspecta ad ejus imagines attendendas judicandasque procedendum esse: lectores autem, opinor, quae vera sit habenda linguarum philosophia, et quale sit, quod vulgo dicere consuevimus, *metaphysicum linguarum studium*, hinc optime judicabunt. Plato ex his studiis non multum profecit. — Verumtamen nobis quantum proficere ad studia illa naviter apteque persequenda, cum ex illa philosophi doctrina, tum ex tota ejusdem philosophia liceat, dici vix potest. Nam non est, quo haec magis constantiusque spectet, quam, ut elicere ex ipso animo hominis omnia studeamus. Refertur illuc tota philosophi dialectica, quippe cum *μαιευτικῇ* et *ἐπαγωγῇ* Socratis, quam usurpavit scribendo, conjuncta: statuit adeo, primas notiones nostras quantitatis et qualitatis, ideas praesertim proprie sic dictas, jam tum perceptas animo nostro fuisse, antequam in hoc corpus sensibus instructum migraverat. — Huic autem philosophandi rationi quid magis consequens est, quam, ut mirari id desinamus, quod vidimus modo, exstare in linguis voces, quibus nativam suam homo cogitandi judicandique rationem expresserit? Nam si insunt haec hominum generi naturâ, quidni enuntiare ea gentes loquendo sponte sua sint conatae? Quodsi documenta expetimus, quibus id, quod probabile videtur, pateat nobis, voces illae singulae, quas in his disquisitionibus attulimus, attendendae

nobis sunt. Non arte sunt a philosophis confictae, sed communi omnium hominum usu teruntur, ut prorsus natura videantur exstitisse: et tamen, quam apte pleneque exprimant, quod longis disquisitionibus Plato demonstravit, eaedem hae disquisitiones nostrae probarunt. Sed vel fallor equidem, vel insigne omniumque illustrissimum hujus rei documentum ipsa nobis est philosophia Platonis. Quo frequentius mihi naturales voces illae in explicando Platone occurrerunt, eo certius mihi persuasi, si eas ordine, secundum philosophiae Platonicae progressionem proponeremus et explicaremus, facile nos ita ipsam simul esse philosophiam hanc tradituros et exposituros. Fateor adeo, eo me accuratius mihi visum esse mentis in cogitando, judicando, cognoscendo rationem assequi, quo magis una cum placitis Platonis linguas attendi, ut parum absit, quin statuam, linguas nobis ipsam veluti *repraesentare* philosophiam Platonis.»[1]) — Haec Heusdius de sese, unde luculenter patet, non tantum *quare*, sed etiam *quatenus* ex istiusmodi Platonicae philosophiae meditatione, qualem ejus publice interpretandae consilium postulabat, in hisce profecerit studiis, et *quomodo* instituta eadem aut maximopere probaret aut improbaret vehementer. Quamquam postremum hocce aliunde item efficere licet. Non enim fugit initium *Epistolarum de Institutione Superiore*, cui initio totus convenit liber.[2]) Quodsi Heusdio, progressus hosce cum Platonicis suis disquisitionibus connectenti, insuper ob rerum

1) *Init.* II, 3, 199 sqq.
2) *Br. over H. Ond.* p. 6. Cf. *Socrat. School* IV, 15 et 55.

copiam credimus, quibus ulterius illustrandis et confirmandis illic linguae adhibentur; credimus quoque significanti, *Encyclopaediae* confectionem porro sibi ad ea studia latius proferenda multum profuisse. Nam illud *βλέπειν εἰς τὴν φιλοσοφίαν τῆς ψυχῆς καὶ ἐννοεῖν ὧν ἅπτεται καὶ οἵων ἐφίεται ὁμιλιῶν*, in quo tunc totus erat, quantopere valuisse par est, ut mentis oculum assidue in specula illa animi humani converteret! Quumque eâdem *Encyclopaediâ* scribendâ artes et disciplinas omnes, earum principio convenienter, ad finem bonorum, qui homini in veritate et virtute et sapientia positus est, referre conaretur; intelligimus ultro, quî mox cum hac linguarum observatione triplicem copulaverit quaestionem de via, qua homo ad veritatem et ad virtutem perveniat, quaque nos aliquando ad sapientiam pervenire oporteat. Et sic sponte in medium incidimus tertii *Scholae Socraticae* voluminis argumentum; cujus igitur licet digerendi cumque aliis communicandi consilium vespera quadam initum sit, [1]) ipsa tamen investigatio non recens, non forte et casu suscepta, non tumultuaria quaedam, sed interioribus diuturnisque Heusdii studiis tamquam radicibus suis nixa, neque ante ad publicam notitiam perlata est, quam pro more scriptoris, docendo fere opiniones suas ultimum explorantis, coram provectioribus alumnis exposita fuerat. [2]) Nam has disquisitiones sine ingenio philosopho accurataque rerum scientia instituere, illotis manibus haec linguarum sacra attingere ineptum ille, imo periculosum censebat,

---

1) *Socrat. School* III, 8.

2) Vid. Scholarum ab Heusdio habitarum enarratio, ex *Ordinibus Lectionum publicis* ducta, p. 42.

sibique affirmabat ne in mentem quidem venturum fuisse vocabula et dictiones singulari diligentia attendere, nisi a juvenili aetate in Socraticam incubuisset philosophiam; cujus ope quum ad accuratiorem naturae humanae cognitionem profecisset, tum vero hac cognitione sponte se in illam ipsam adductum esse investigationem. Similiter, religionis ratione habita, linguis eos tantum erudiri posse statuebat, qui, eâdem instructi cognitione, praeterea sese in indolem ipsius penitus insinuare conati essent [1]).

Patet Heusdianorum studiorum ratio atque progressio scriptorisque in his *Speciminibus* consilium, non eo pertinens, ut novum aliquod etymologiae systema exhiberetur, verum ut in triplicem, quam dixi, quaestionem, Platonicae philosophiae principiis partim ante illustratam, partim illustrandam dein, hîc, ducibus linguis, inquireretur. Quae indagatio si cederet, de Heusdii sententia, non tantum pondus principiis illis allatura, sed etiam profutura fortasse esset ad quaestionem, *Encyclopaediae* fine positam, aliquando explicandam: *Quid est metaphysica?* itemque ad alteram tractandam, summi sane momenti quaestionem: *qua illa ratione colenda?* [2])

Et in hac indagatione Heusdius ita suus est, ut dubites num sit in ulla magis. Optimorum naturae investigatorum exemplum, quod quavis opportunitate laudabat, prorsus in rem praesentem transferens, ubique a *posteriori* exquirere conatur, quid intus in animo humano lateat. In omnes, quae quidem ipsi patent, partes

1) *Socrat. School* III, 208 et 213. Cf IV, 58.
2) Eod. III, 8 seq.

mentis oculum convertens, acute observat omninoque hominem velut interrogat et responsa ejus a linguis accipit, quae animi tamquam *effluvium* habentur. Longe major est vocum atque dictionum, e diversis linguis petitarum, copia quam quae hîc apponi, nedum ex Heusdii mente exponi, possint. Nonnullas praeterea modo attigimus [1]). Una tamen, quum, quod eâ continetur, fili instar per omnia deductum appareat, hoc loco non praetermittenda videtur. Est haec Graecorum *φιλοσοφία*, nostratium *wijsgeerte.* Dixerat Fr. Hemsterhusius ὁ *φιλοπλάτων*, cujus scripta Heusdio cara fuisse quodvis ejus opus probat: «philosophia in terram adducta neque a Minerva est neque a Seraphim. Primus philosophus homo fuit. Idcirco philosophia in homine latet. Audacter igitur quaeramus eam in nobismet ipsis.» Hujus sententiae Heusdius se semper memorem, sedulo illic quaesivisse et quaerendo in eam pervenisse ajebat, quam supra tradidi, philosophiae notionem. Sed hîc eodem tendit linguae ope et in primis vocabuli nostri contemplatione. Ex hoc enim pariter ipsa non *objective* tamquam disciplina proponitur, sed *subjective* in homine animadvertitur tamquam amor studiumque sapientiae, ejusque vis et effectus esse colliguntur praeclarissimi, quod juste adhibita, hominemque per artes et disciplinas gradatim et ab omni parte excolens, ducere ad sapientiam queat [2]). Scilicet sapientia perquam sublimis est, cum *τῷ scire κατ᾽ ἐξοχὴν* est conjuncta, cum eorum potissimum argumentorum scientia,

1) Vid. p. 177.
2) Cff. etiam *Charact. princ. Phil. vet.* p. 237.

quae in principe omnium disciplinarum praecipua sunt, animi, mundi, Dei; ac proinde ad ipsius sublimitatem erigere sese nemo potest, nisi qui in veritatis et virtutis studio magnos habeat progressus, eoque sit ingenii animique tamquam concentu, quo uno quis revera *homo* evadat. Sic philosophiae in his quoque disquisitionibus partes tribuuntur instituendi et informandi ad illud, quod summum est, appetendum et, quoad fieri possit, assequendum. Quamquam has partes eadem minime sola suscipit. Est, quae eam juvet, imo fulciat et roboret et vim ejus omnem admirabiliter augeat, religio Christiana. Haec enim uti in aliis Heusdii scriptis, ita in hoc libro sic adumbratur, ipsam ut omnium dignissimam haberi appareat, cujus indolem sapientiae studiosus diligentissime exploret, cujusque salubritate se penitus imbuendum curet.

Magna cum voluptate Heusdium in hoc argumento versatum esse, et dicta probant passim obvia, [1]) et ipsum, quod cognovimus, totius investigationis consilium. Ac suspicor paene, ei, Platonicâ suâ methodo hîc investiganti, similem fuisse animi conditionem, atque sibi, librum legenti, obtigisse indicat Germanus operis censor, qui «incredibile, — ait — quantopere, in vehementi recentiorum philosophiae systematum pugna, gratissimam animi tranquillitatem pariat prudens ille et nulli parti adstrictus cursus Platonicae hujusce dialecticae, qui imago amnis est, undas magnifice volventis.» [2]) Ceterum

1) In primis III, 173, ed. sec. quo etiam loco sibi affirmat jucundissimam accidisse Palmii de hujusmodi disquisitionibus sententiam.

2) (Buschmann, vir linguarum cognitione, Boeckhio teste, prope immensa instructus, maxime linguarum Asiae ulterioris et Americae,)

de opere suo Heusdius sic judicabat, ut haec Socraticae Platonicaeque philosophiae principia, e linguis illustrata, omnibus quidem putaret cujuscumque scholae philosophis nonnihil prodesse posse, modo Socraticorum maximeque Platonis scriptorum haud imperiti essent; [1]) sed idem statueret, in linguis, locupletissimis illis philosophiae thesauris, explorandis hîc nequaquam subsistendum esse. Quemadmodum ipse inchoata ab aliis persequi studuerat, sic sua credebat extendenda esse et magis magisque perficienda. Commendabat indagationem interiorem et majorem indagationis amplitudinem: proferendos esse fines illos, quibus ipse, Graecam tantum, Latinam, Germanicam, Francicam linguam attendens in primisque pulcerrimum sermonem patrium contemplans, circumscriptus fuerat: quum alias tum vero Orientis linguas, quarum inscientiam aegre ferebat, adeundas, quaeque inde ducerentur, cum ipsius inventis diligenter comparanda esse, quo non solum certius de hisce constaret, verum etiam numerus augeretur notionum ex ipsa natura haustarum, majoresque detegerentur philosophiae colendae thesauri. [2])
Meum esse censui haec superioribus addere, ut, si qui forte ad talia persequenda non inepti, hanc inspicerent Scriptionem, viderent, quo ipsos summopere incitavisset Heusdius.

---

in *Berl. Lit. Zeit.* Apr. 1839 p. 296. Haec relatio in nostrum sermonem versa exstat in *Alg. K. en Letterb.* 1839, D. I, p. 331.

1) Praef. Heusdii praemissa versioni Germanicae voluminis tertii, quae Traj. a. 1838 hoc titulo prodiit: Philosophie. *Versuche philosophischer Forschungen in den Sprachen*, von Ph. W. Van Heusde.

2) III, 229 sqq.

Hoc *Scholae Socraticae* volumen comitabatur Epistolarum fasciculus ruri et vero animi recreandi causa tum scriptarum, quum gravibus Heusdiana domus angebatur curis. Sunt illae, e majore copia lectae, numero octo, studiumque philosophiae, habita praesertim patriae ac temporum nostrorum ratione, attingunt. [1]) Forma epistolarum numquam non grata viro, scribere conanti ut loquebatur, [2]) gratissima procul dubio eo tempore erat, quo scribentis animum erigere minus lectorum quorumvis quam amici cogitatio poterat, cui sensus saltem suos liberius pleniusque aperiret. Quis dilectissimorum amicorum ei obversatus menti fuerit, dicitur nusquam, indicatur sic, ut Texium significari potuisse putes. [3]) Est autem haec opusculi ratio, ut illud philosophiae studium Neerlandicae indoli in primis congruere censeatur, quod cum justa veterum lectione maximeque cum lectione et perspicientia Platonicorum scriptorum arctissime cohaeret et vitae, quam dicunt, sapientiam plurimum promovet. [4]) Animadvertitur, scholarum metaphysicarum auctores, quales Germania tulit multos, in patria nostra non exstitisse, horumque systemata, etsi huc translata suosque etiam patronos nacta, numquam tamen ita recepta fuisse, quin pregrinam proderent originem: [5]) neque tamen nobis propterea negligenda esse, quae alibi in hoc studiorum genere exco-

---

1) *Brieven over het beoefenen der Wijsgeerte, inzonderheid in ons Vaderland en in onze tijden.* Inleid.

2) *Init.* II, 1, 150. *Socrat. School* I, 238, III, 30; coll. *Br. over H. Ond.* p. 53.

3) P. 30 fine, 59 et 68.

4) P. 19, passim.

5) P. 8, passim.

gitentur, sed videndum, quid inde profici ad res nostras gravissimas provehendas possit: et, ne in spectando atque accipiendo, quod conducere videatur, subsistamus, operam praeterea nobis dandam esse ostenditur, ut, quum metaphysicos primum in schola Socratica rite institui oporteat, nos et exemplo et vero scriptis de justo philosophiae studio vim apud alios nanciscamur, si minus ad philosophiae colendae rationem, saltem ad initia ejus commendanda, unde dubium non sit, quin hoc praesertim tempore plurimum pendeat. [1]) In horum omnium explicatione, in aetatis nostrae cum parentum aevo comparatione multa sunt lectu digna: alia opportune memoriam afferunt opinionum in majoribus operibus disertius, ut par erat, expositarum, veluti, Socraticae philosophiae commendatio et indolis nostrae descriptio: [2]) quaedam denique de exterorum philosophiae colendae ratione nobis haud convenienta dubites num vera censeas, saltem, quid in his effici fortasse a nostratibus possit, diligentius, quam his Epistolis consequens videatur, experiundum esse credas; quod ipsum Heusdium fassum esse novi.

Sed ad ultimum pergimus, quod ipsi scriptori edere contigit, opus. Et hoc complectitur metaphysicam? Non ita; licet ab Heusdiana huiusce argumenti explicatione nequaquam separari debeat. Prodiit autem a. 1839 hoc titulo: *Characterismi principum Philosophorum veterum, Socratis, Platonis, Aristotelis.* De illo Heusdius ad viros Eruditissimos, classi tertiae *Instituti Regii Neerlandici* adscriptos, de his ad doctissi-

---

1) Cff. etiam *Charact. princ. Phil. vet.* p. 242.
2) *Init.* II, 1, 5, III, 256, et *Br. over H. Ond.* p. 251.

mos Academiae Francicae *Doctrinarum moralium et politicarum* socios se disserentem induxit. Audito libri titulo erant, qui eo citius illum inspicere vellent, quo magis argumentum mirabantur. Ecquid novi — ajebant — de illis triumviris proferendum *Heusdius* habuit, qui in prioribus scriptis nec Socratem obiter commemoravit, neque omisit Aristotelem, Platonis autem interpres fuit? — Ac de utroque illo facilius erat quaerentibus satisfacere. Nam Aristoteles adhuc Platonis potissimum causa in partes vocatus fuerat,[1]) Socratis explicita disciplina, ingenium vero, indoles, mores, ipse omnino Socrates non exploratus fuerat; sed Platonem quod attinet, latebat, *Initiorum* scriptorem dein sibi visum esse illius philosophiam nondum satis *dijudicasse*, requisivisse omnino ad *Initiorum* qualecumque tandem momentum augendum Platonicae philosophiae *characterismum;* et praeterea in illo responso erat quidem aliquid, non vero omnia. Quum enim verba titulo addita *ad criticam philosophandi rationem commendandam* praefationis verbis jungimus, amplioris statim movetur consilii suspicio. Nam «philosophia — ait Heusdius — saeculi nostri ad eclecticismum tendit, ut in omnes omnis aevi cum philosophos, tum sectas, tum doctrinarum formulas inquiramus; quibus exploratis diligenter satisque cognitis, optima inde quaeque eligamus, mittamus reliqua. Dignum philosopho propositum; sed praecedere eclecticismum criticismus, sive critica philosophandi methodus, debet. Nam, anteaquam eligas, crisi et rerum discretione opus est: quam ni institueris, in syncretismum

---

1) *Init.* II, 2, 77 et II, 3 62.

delabamur necesse est, quo nihil esse germanae philosophiae perniciosius potest, quippe quo misceantur et obscurentur omnia.» Scilicet ab iis Heusdius stetisse videtur, qui eclecticismum, in Francia praesertim se pluribus tunc commendantem, firmius criticismo fulciendum esse statuebant. Huc ille hortaturus, laudatos philosophos non modo seorsim, sed adhibito in primis eorum apud posteros momento, contemplandos praebet, criticisque suis disquisitionibus alterum ab altero distinguens et suum singulis locum tribuens, id agit, ut, prius quam eligant, ad principia germanae philosophiae plene spectanda se convertant eclectici et sic a temere eligendo caveant.

Ac primum quidem critica adhibetur explorando Socrati, viro non unice propter Aristophaneas *Nubes* cognitu difficili, de quo longior idcirco suscipitur disputatio, quum et e diversis aequalium judiciis et e sententia posteritatis et ex ipsius Socratis dictis factisque, in Graecorum historia atque historia philosophiae obviis, eruantur et colligantur, quaecumque faciant ad perspiciendum, qualis ille vir qualisque philosophus fuerit. In his indagandis Forchhammeri in Socratem libellum Heusdio obversatum esse ultro patet, quamquam eum in diverso scribendi consilio non diserte refutat, verum sic ipse disserit, ut credas affirmanti, se illo libello adeo non a proposita scriptione abductum fuisse, ut contra lecto eodem accuratius etiam diligentiusque Socratis naturam atque indolem explorare instituerit.[1]) Ex hac autem investigandi diligentia eam prodire putat Socratis imaginem,

---

1) P. 5 et 44.

in qua unâ nobis conjuncta appareant, quibus singulis alii pariter praediti fuerint. Si cui credere placeat, Athenis fortasse non defuisse, qui aut ἐγκρατείᾳ, aut καλοκἀγαθίᾳ, aut ingenii acumine, disserendi subtilitate, discendi, cognoscendi, quin etiam semet ipsos cognoscendi amore, aut veritatis et justitiae vindicandae studio Socrati parum cederent: haec igitur opinanti Heusdius n n repugnat, sed qui sic, ut Socrates, conjunctas has ingenii animique virtutes haberet, qui sic eas, ut ille, conjunctim et vivendo et philosophando proderet, sic eas item, ut ille, ad humanitatis meliorisque religionis causam provehendam adhiberet, hujusmodi virum, praeter illum, repertum fuisse arbitratur neminem.[1])

Multum habet haec disquisitio perspicuitatis et acuminis, magnam judicandi integritatem et veri similitudinem, etiamsi omnes omnino, de ipsis adeo *Nubibus*, quaestiones eâ profligatas esse nolim contendere. Verum eam, utut praeclaram, ad Socratem cognoscendum utilissimam, ad Heusdii mentem introspiciendam haud inutilem, gravissimam tamen libri partem nescio an non appellem. Multa saltem, in ceteris partibus exposita, me tenent magis. Atque huc viam sternit peculiaris et a superiore valde diversa de Platone et Aristotele disputatio. Quum enim perperam nonnulli utriusque philosophiam ante inter se comparare et conciliare instituerint, quam datâ eam operâ discrevissent, primum *ipsi* ab Heusdio singulatim attenduntur, et ille quidem proponitur ut mimographus et inventor dramatis philosophi,

1) P. 63.

artium ac disciplinarum instaurator, philosophiae moralis stator, politicae philosophiae conditor, novae philosophiae auctor: hic vero fuisse animadvertitur observator naturae, instaurator doctrinarum, historicus et criticus, novae dialecticae auctor, metaphysicae conditor. Inde characterismus utriusque ducitur et haec potissimum efficitur diversitas, Aristotelem non persecutum esse, quae sive Socrates sive Plato inchoavisset, sed novam iniisse philosophandi viam, qua expleverit quidem magnam partem, quae in philosophia Platonis desiderentur, verum caruerit haud paucis, quae in eadem sint eximia.[1] Nam hominem Plato, universum Aristoteles in primis spectasse dicitur: *illum* homo, interior naturae nostrae moralis inquisitio ad principiorum paucitatem, *hunc* universum, omnis mundi externi investigatio ad infinitam rerum varietatem duxisse ostenditur: tum Aristotelea disciplina utilior ad *vivendum* fuisse, Platonica efficacius ad *recte vivendum* pertinuisse, altera omnino vitae morumque principia, altera vero doctrinarum, ad omnem vitam fructuosarum, normam continere censetur.[2] Quidquid autem discriminis est, huius, judice Heusdio, vestigia continet historia philosophiae, quae ab utroque processit. Quamobrem ipsa peropportune adhibetur, ut magis etiam tamquam e fructibus arborem cognoscamus. — Atque haec fundamenta sunt, quibus jam porro utilissimae nituntur animadversiones. Nam si distinguendo apparuerit, suam et Platoni et Aristoteli fuisse philosophandi rationem, nihil

1) P. 170 et 179.
2) P. 177 seq.

prius nos potiusve habere oportet, nisi ut sua singulis serventur integra, ne alteri tribuendo quod sit alterius, perversoque ipsos dissentientes conciliandi studio, uterque vi sua nativa destituatur. Quae vero apud eos sejuncta fuerunt, haec ita hodie conjungere, ut fructus inde capiat aetas nostra, est sane egregium. Et quandoquidem Platonis philosophia ad excitandum in homine veritatis virtutisque amorem summopere valebat, Aristoteles autem ad res cognoscendas recte ac dijudicandas, ad veritatem omnino strenue vindicandam ducere conabatur, patet, quo optime modo proficere ab utroque liceat. Platonis enim philosophia homini inserviat recte excolendo instituendoque, necessitudinem porro et societatis vinculum declaret, quo variae doctrinae continentur; quarum vero apte distinguendarum et singulatim tractandarum rationem demum significavit Aristoteles, utilissimus idem ad mundi externi cognitionem promovendam. Nam sic sese res habet. Decet nos mundum huncce non minus, quam internum, attendere. 1) Hanc Heusdius verissimam judicat utriusque philosophiae conjunctionem, et recte sic conjunctae singularem censet praestantiam. Sic criticismo facem praeferente, reapse eligere discimus, non in conciliandi eos, qui conciliari nolunt, id est in commiscendi omnia atque perturbandi periculum incidimus. Et optimorum quorumvis e Platone et Aristotele electio quanti est facienda iis, qui tum in semet ipsis et mundo interiore tum in rerum natura atque mundo externo cognoscendo progressus facere cupiunt! Inde orsi Socraticaeque philosophiae

1) P. 208—218. Cf. *Socrat. School.* IV, 88.

principia tenentes, quanto cum compendio suo ex posteriorum philosophorum aliis alia ducent! Sed hoc ipsum de criticismi auctoritate argumentum gravius scriptori videtur, quam ut vel universe illud attingat vel suarum unice disquisitionum exemplo commendet. Critica veri obrussa non semper adhibita ab eclecticis fuit, propterea saepe in syncretismum lapsis, maximam philosophiae pestem. Hinc Heusdius fine libri de industria criticismi vim et necessitatem persequitur, hoc demum praeeunte futurum statuens, ut saeculi nostri ratio, quae arctos respuat dogmatum ac systematum limites exspatiarique per omnem omnium sectarum temporumque philosophiam conetur, ut haec igitur saeculi ratio tantum nobis, quantum plurimum possit, utilitatis afferat.

Hîc autem quaerere aliquem subeat, num Heusdius hac eligendi prudentia omnia philosophis contineri absolvique putarit. Haeccine — inquis — nostra dehinc erit philosophia, collectio quaedam excellentium thesaurorum prudentissimo cum delectu undique congestorum? Postulat quaestionis momentum, ei ut plenissime, ipsis adeo scriptoris verbis, respondeatur. «Cavendum — ait — omnium maxime ab hac opinandi temeritate est, quasi in eclectica criticaque philosophandi methodo procreatrix, quam vocant, desideretur facultas. Non enim sunt, quos spectamus, eclectici criticique philosophi puerorum instar, qui in pratis cum delectu flores capiunt: non illi hunc in modum e philosophorum veluti campis suavissimas quasque pulcerrimasque sententias capiunt, quibus scilicet philosophiam ipsi suam ornent. Haec non Socratis, non Platonis, non Aristotelis ratio fuit, quamvis hi e praestantissimis quibusque, qui ipsos praecesserant, philosophis profecerint. Ut inditam

menti suae philosophiam cum excitarent, tum alerent, tum etiam confirmarent ac corroborarent, hoc maxime proposito philosophos quotquot fuerant excellentes, quin etiam poëtas legerunt studiosissime. Plato autem, quippe indole et disciplina Socraticus philosophus, hoc maxime factitando, philosophiam in lucem emisit, quae optimam contineret veritatis virtutisque disciplinam. Pariter agunt, quos probamus, eclectici ac critici philosophi. Tenent Horatianum illud: *doctrina sed vim promovet insitam:* hac spe proficere ex omnibus quae exstiterunt philosophorum placitis nituntur, quo magis, vi illa insita his studiis promota, ipsi et sapere discant, et philosophentur recte, et, per philosophiam, prodesse cum civibus suis tum generi humano possint. » 1)

Characterismos quotiescumque cum prioribus operibus, cum *Initiis* praesertim comparavi, toties mihi haud exiguam animadvertere visus sum Heusdii progressionem, non in eo positam, quod hîc Socratica disciplina nobis haud sufficere dicitur: 2) — nam contrarium ille numquam contenderat, sicuti et nos dudum vidimus, 3) et omnes tenent, qui ejus scripta probe norunt: quid? quod vel *Encyclopaediae* Praefatio alia omnia docet, si quis forte e pleniore *Scholae Socraticae* titulo efficiat, eum revocare philosophiam illam universam voluisse et in hac nobis acquiescendum esse putavisse: 4) — sed eam volo Heusdii progressionem, quae elucet in Platonis potissimum dijudicandi libertate. Nam libere de Socrate

1) P. 248, coll. p. 239.
2) P. 251.
3) Vid. supra p. 143.
4) P. X media.

non tantum et Aristotele agit, verum quid in Platone desideretur exponit, tantaque rationum varietate suam comprobat sententiam, ut longissime profecto a coeco deliciarum suarum amore abesse videatur. Hanc liberiorem judicandi normam, cujus initia tantum alibi reperiuntur, unice tribuere progressibus in studio Platonis interea factis equidem non ausim; verum alium suspicor, qui paulo altius latet, fontem, et hunc spero fore ut non inviti aliquando mecum adeant lectores.

Vix typis mandati *Characterismi* erant, quum iis describi coëptum est ultimum *Scholae Socraticae* volumen, cujus paucas tantum plagulas Heusdius prelo exeuntes vidit, reliquam editionis curam, mortuo ipso, susceperunt cognati. Agit illud de metaphysica, nec propterea hoc demum loco memoratur, quia sic fert temporis ordo. Hunc prouti in *Initiorum* voluminibus memorandis omisi, ita hîc omisissem fortasse, nisi gravior ejusdem servandi causa fuisset. Sed cum superiore opere hic cohaeret liber. Ac praeterea est, quod credamus, instauratam complurium rerum inquisitionem et meditationem, quam *Characterismi* postulabant, valituram quoque fuisse ad Heusdii de metaphysica opiniones perpurgandas. In iis, quae illic de Platonis et Aristotelis discrimine monentur et in hunc ipsum transferuntur librum, haud pauca sunt, quorum perspicua quidem mentio simili *Initiorum* loco nondum exstat.[1]) Quo tempore Heusdius *Encyclopaediae* fine quaerebat: *quid est metaphysica?* constat eum dubium adhuc haesisse, quid ipsa esset, quemque sibi in Encyclopaedia locum

1) *Init.* II, 3, 61 sqq.

vindicaret. [1]) Hujus perspiciendi gratia primum de historica cogitavit metaphysicae disquisitione conscribenda, ut e principum omnis aevi metaphysicorum laboribus atque variis doctrinae fatis et vicissitudinibus ipsam aliquando ejus naturam assequeretur. Quod consilium dici vix potest, quantum pepererit et aliorum metaphysicorum et vero Aristotelis studium, quemadmodum e *Characterismis* in primis unicuique patet. Postea lucem eum sperasse novimus a philosopha linguarum indagatione. [2]) Verum hac se dein affirmavit philosophiam quidem Platonicam, quin philosophiam ipsam interius perspexisse, sed sibi nondum illud patuisse, quod diutissime studiosissimeque quaesivisset. [3]) Si igitur omnem huncce, ubi de se dicit, locum recte capiam recteque in primis utrumque postremum librum comparaverim, opera demum in *Characterismorum* confectione posita majorem attulit opinionum de difficili argumento evidentiam. Atque idcirco haud visum mihi fuit quartum *Scholae Socraticae* volumen tertio subjungere, temporis quippe confusionem in ingenii progressibus valde timenti.

Differt haec disquisitio ab *Encyclopaedia* ratione eorum, ad quos se convertit scriptor. Non discipulos junioresque amicos, sed philosophos alloquitur, et quotquot eorum ad sapientiam annituntur, his libri lectionem commendat, [4]) minus tamen ipsos docendi, quam ab ipsis discendi gratia. Nam tria in hoc summi

---

1) *Socrat. School* IV, 154.

2) Vid. supra p. 181.

3) *Socrat. School* eod. et p. 7.

4) Titulus est: *De Metaphysica. Leesboek voor wijsgeeren die naar de wijsheid streven.*

momenti loco esse ait, de quibus scire aveat rectene judicet: se enim, parum delectatum iis, quae aliis alia placere animadvertisset, per totam vitam quaesivisse, quid sit metaphysica, qua ratione coli, quo valere debeat. Quodsi vel maxime censeatur haud aberrare a vero, suum opus judicat nihil amplius nisi opportunitatem vel ad summum primordia eorum fore, quae acuti in primis et probe exercitati philosophi ad veram metaphysicam instaurandam persequi et perficere debeant. [1])

Initium disquisitionis est historicum, ducitque continuo in medias res. Indagatur enim, qua ratione exstiterit ac porro culta sit metaphysica, cujus quidem nomen fortuitum videtur nec satis aptum, argumenta vero omni aevo summa fuerunt, *animus*, *Deus*, *mundus*, ipsa *rerum natura*, quaeque propterea ut est, sic habita semper fuit doctrinarum omnium princeps, et vero tantam fere vim habuit in ceterarum doctrinarum maximeque theologiae studiis, ut illam qui exploret, harum paene *vitae principium* explorare videatur. Itaque historice exordiens Heusdius, incidit continuo in Aristotelem, superiore libro accuratius descriptum, a quo nunc iterum affirmat justam interni mundi, pariter atque a Platone externi, inquisitionem neglectam fuisse, indeque evenisse monet, ut ille, e mundi externi investigatione ad quaestiones de Deo, de animo, de rerum natura similesque haud satis proficiens, ὑπὲρ τὴν φύσιν quaerere instituerit, quod in *semet ipso* agnoscere et invenire debuerat: hinc autem doctrinam supremam ejus exstitisse, quae proprie *causarum scientia*

---

1) Cf. etiam *Socrat. School* IV, 159 et 180.

erat et dein metaphysica audiit.[1]) In his explicandis et diversis metaphysicae fatis porro tradendis Heusdius Socraticam haud obliviscitur philosophiam, quae quum incipiat a cognitione sui, firmissimo illo progressuum nostrorum principio, totaque sit in homine ipso ad veritatem instituendo, una omnium efficacissime scriptori praeparare videtur ad sublimes de Deo, de animo, de mundo quaestiones plenius assequendas. Hujus autem philosophiae ubertatem apparuisse contendit in metaphysicae conversione, quae superiore saeculo, auctore praesertim Kantio, facta est, quum vetus illud *γνῶθι σεαυτὸν* vim suam in philosophia recuperaturum videbatur et studium hominis interius explorandi tamquam reviviscebat. Egregium profecto bonum, cujus semina et alii sparserant et vero Hemsterhusius nostras, quodque majores etiam, quam tulit adhuc, fructus laturum fuisset, ni philosophi, involando in metaphysicam, priusquam philosophiae simplicitate satis pasti essent, in alia rursus devia deflexissent.[2]) Nam haec illam praecedat et id teneatur oportet, sine philosophia non esse metaphysicam.[3])

Haec duce historia et minus cum metaphysicae diversis temporibus cultae, quam cum metaphysicorum, quorum *ingenio philosopho* egregia multa debeamus, laudatione disputantur.[4]) Tum Heusdius suam ipse sententiam de doctrinarum principe expliciturus, a gravissima omnis philosophiae quaestione ordiendum censet:

---

1) P. 26. Cff. *Charact. princ. Phil. vet.* p. 167.
2) P. 39 sqq.
3) P. 55.
4) Vid. v. c. p. 62.

quomodo externi et interni mundi philosophia conciliari potest? Nam pertinemus nos ad utrumque, cujus igitur licet magnum sit discrimen, philosophum tamen eniti decet, ut progressus in utriusque cognitione faciat, quo reapse ad ipsam sapientiam tendat. Ad alterutrius contemplationem antiquitus Plato et Aristoteles, postea alii nimis proni fuerunt. Inde perperam pugnae exstitit suspicio inter utriusque mundi philosophiam. Sed eadem adest nulla, et quemadmodum Platonicae et Aristoteleae philosophiae conciliatio in ipsa dispari ejus ratione reperiri praestantissima potest, sic mundi interni et externi philosophia redigi in harmoniam potest ac debet omnino, quippe fontem habens *in* homine, qui ipse quoque, licet ad utrumque mundum pertineat, dummodo prorsus maturuerit, secum consentit amicissime. Huic autem harmoniae promovendae egregie inservit justa inquirendi methodus, quam Heusdius *analysin* esse putat, universae philosophiae communem. [1]) Inquirendum vero non promiscue, sed primum in mundum internum censet, ne omni sui parte non aequabiliter excultus, id est, ne *homo* non sit, qui philosophum agit. Ex his diligenter expositis verae ducit metaphysicae naturam. Est haec, ipso judice, cognitio utriusque mundi, scientia est harmoniae amborum, ad quam summam harmoniam perspiciendam, philosophiae ope, hominem tendere opor-

---

1) Le monde moral est pour nous tout entier concentré en nous-mêmes, et nous ne saurions en connaître les phénomènes et les lois, que par le même procédé qui nous fait découvrir quelque chose des phénomènes et des lois du monde physique, c'est-à-dire, par l'observation. *Guide de l'Instituteur*, feuille périodique publiée par Raphael Lambruschini. (*Bibl. Univ. de Gen.* Avril 1840, p. 220 et 221.)

teat.[1]) Hanc scientiam Heusdius summopere celebrat, quaeque illam complectitur, metaphysica propterea ei non tantum doctrinarum princeps, ceteris doctrinis omnibus longe praestans, sed *ipsa sapientia* est, quam licet assequi homo nequeat, nitendi tamen constantiâ incredibile, quantopere ad omnem illam ingenii animique perfectionem progrediatur.[2]) Jam reliquarum quaestionum facilior est explicatio. Ut enim recte colatur metaphysica, inchoandum a philosophia esse patet, quae indicata aliquoties, hominem sibimet ipsi patefacit, in vim ipsius internam, internum sensum, convertit, quae justo artium et disciplinarum studio, pulcri, boni, veri amorem alit, quin scintillam ignis divini in nobis, quippe *hominibus*, latentem excitat et ab interno ad externum mundum porro explorandum ducit.[3]) Quodsi haec institutio et investigatio praecedit metaphysicae studium, fructus ejus Heusdio non longe quaerendi videntur. Nam quum *varietatem* externi et *infinitatem* interni mundi cognoscendam praebeat illudque efficiat, quod inprimis sapientiae est, ut non tantum cognoscamus, sed agamus etiam atque spe roboremur ad bene vivendum et bene moriendum efficaci, summum metaphysicae momentum ultro intelligitur.[4]) Non illa, ceterarum doctrinarum instar, suis se finibus contineri patitur, sed ad omnia se extendit. Philosophi instar, metaphysicus in artium disciplinarumque studio vim habere debet, eae ut ex justis principiis, justo modo, et ad justum

---

1) *Socrat. School* IV, 126.
2) P. 132.
3) P. 128 sqq.
4) P. 144.

propositum colantur. [1]) In harum autem Encyclopaediâ locum ipsa occupat primarium. Si enim recte ac philosophiâ viam parante colitur, si reapse scientia est harmoniae utriusque mundi, ipsaque idcirco pulcerrima est et maxime divina omnium harmoniarum, tum vero una prodit artium ac disciplinarum omnium velut chorum ducens: tum philosophiae studium philosophi habeatur in augustissimis veritatis mysteriis per artes et disciplinas initiatio, studium autem metaphysicae templum ipsum habeatur, imo adytum sapientiae. [2])

Ex his breviter adumbratis conjicere licet, quantopere hic quoque liber peculiarem Heusdii referat sentiendi cogitandique rationem, ac flagrantissimam ejus spiret hominis penitus instituendi cupidinem. Multa in relatione breviore omittenda fuerunt, illam firmantia conjecturam, quorum tamen non possum non lectoribus tam locum de *ontologia* [3]) quam libri finem commendare, qui in mutua versatur inter philosophiam et religionem Christianam necessitudine, [4]) quam sunt qui scriptorem non tantum ingenio complexum fuisse, sed, quod paulo difficilius, vita etiam expressisse dicant.

Et haec quidem Heusdius indefessae industriae, egregiarum ingenii facultatum summique in disciplinas ac humanitatem amoris documenta posteritati reliquit. *Scholae Socraticae* Epilogo se, senescentem, scribebat

---

1) *Socrat. School* IV, 146.

2) P. 156, 158.

3) P. 133.

4) P. 160. Juvat hic memorare, quae de *philosophiae antiquae* et *religionis Christianae* discrimine Schol. Socr. Vol. II monita sunt, digna visa esse, quae, Germanice a nostrate L. J. F. Janssen versa, insererentur diario *Theol. Stud. u. Krit.* 1837, p. 379- 412.

neque discipulis neque orbi erudito multum porro profuturum esse. [1]) Haec vox, corporis fortasse infirmitate et aetatis cogitatione provocata, obitu autem qui mox secutus est ita sancita, ut instantis mortis tamquam praesensione quadam expressa videretur, ea igitur vox parum congruebat singulari mentis alacritati, quae interea nova agitabat consilia, aliaque ex aliis sive inchoabat sive elaborabat scripta.

Continuo in mentem veniunt *Characterismi principum Philosophorum veterum.* Quod opus haud absolutum esse ipsa Praefatio indicat. Triumviris enim, quorum notationem illud continet, Heusdius primum priscos in Graecia sapientes, Thaletem, Xenophanem, Pythagoram, Solonem alios adjicere decreverat, ad Societatem *Archaeologicam Atheniensem* scripturus criticam hancce de philosophiae apud Graecos initiis disquisitionem, tum posteriorum Zenonis, Epicuri, Pyrrhonis ceterorumque philosophorum *characterismos* meditabatur. Praeterea scriptionem elaborabat Neerlandicam titulo *novi Timaei* insignitam. A Platonici inde Timaei temporibus tantos videbat in philosophiae naturalis studio factos esse progressus, ut operae pretium putaret sublimia illius dialogi de universo, de Deo, de homine argumenta iterum et his adhibitis progressibus persequi. Id erunt, qui mirentur et alienum quodammodo dicant ab iis, quas ipse colebat, disciplinis. Sed neutiquam ille negligens eorum fuit, unde universi notitiam sibi compararet. Testes sunt schedae manu scriptae, ab anno inde 1811 varia continentes philosophiae naturalis loca. Neque inaudita proferre, sed colligere dispersa et vitae atque motus

1) P. 190.

principia, quae detegi in universo possint, attendere volebat. De aqua et plantis, de aëre et animalibus, de igne et terra, de sole et systemate nostro solari ita se locuturum ajebat, ut pateret, non quid sit universum, sed quid suspicari nobis de principiis ejus liceat. In hoc sublimi argumento Heusdius ultimis vitae diebus tota mente omnique cogitatione fuit. Porro vetus haud mittebat duplicis commentationis scribendae consilium, cujus alterâ *Desiderium Erasmum, saeculi sexti decimi philosophum* [1]) celebraturus ad Roterodamenses, cives suos, fuisset, alterâ vero *Fr. Hemsterhusium habita saeculi, quo floruit, ratione* exhibere constituerat. [2]) Sed haec omnia *opuscula* dicturi fuissemus prae ampliore Neerlandico opere, cujus confectionem postremis vitae annis magnopere curae habuit, at partem tantum eatenus elaboratam reliquit, ut edi posse videretur: intelligo *Scholam Polybianam.* [3])

Quae Heusdius adhuc scripserat opera, tantum non omnia penitus cohaerebant cum philosophia, eoque spectabant, ut philosophiae studium ad excellentissimam referretur hominis utilitatem. Interea erant, qui haec valde probantes, ipsum tamen rogarent, ut in hac commentationum ordinandarum facilitate historiam quoque respiceret:

---

1) Hic titulus futurus fuisset, nisi veri sit similius, cum postea magis inclinasse ad scriptionem patrio sermone hoc titulo edendam: *Desiderius Erasmus, de wijsgeer der zestiende eeuw, geschetst.*

2) *Frans Hemsterhuis, de Hollandsche wijsgeer, in zijne eeuw*, vel potius: *François Hemsterhuis dans son siècle.* Nam constat, eum multis, novam ab ipso petentibus Hemsterhusianorum operum editionem, tandem satisfacere decrevisse. Tum autem suam disputationem Francice scriptam editioni praemissurus fuisset.

3) *De School van Polybius of Geschiedkunde voor de negentiende Eeuw.*

nota esse *doctoris* in eam merita, sed quo notiora, eo vehementius optari, ne diuturnorum studiorum fructus hic illic dispersos jacere sineret, verum collectos ipsos ordinatosque publici juris faceret. Recte illi, neque Heusdio non probante, monebant. Ipse enim historici operis aliquando edendi consilium perdiu agitasse videtur, [1]) et jam anno 1835 arctam indicavit, quae ei cum scriptis philosophis intercederet, necessitudinem. Nam verae philosophiae cum vera religione conjungendae momentum indicans, «has — inquit — de philosophia aliae sequentur de historia disquisitiones, et *utriusque ope*, in veritatis lucem proferre conabor, quid *religio*, in primisque *nostra* religio generi humano adhuc fuerit, et, in cultus ac humanitatis progressione, porro esse et possit et debeat.» [2]) Hic *Encyclopaediae* scriptorem agnoscimus, sua nolentem disjuncta, quum conjunctas philosophiam et historiam ipsam putaret. [3]) Scilicet quod affirmaverat, in artium ac disciplinarum κύκλῳ philosophiam medium locum tenere cunctaque hinc dirigere, historiam vero totum comprehendere eique lucem affundere, id non modo disserendo exponere, verum studiis ipse suis scriptisque exprimere conabatur. Atque hoc necessitudinis vinculo ejus opera inter se contineri, *Schola Polybiana* confirmare videtur. [4]) Titulus est ab insigni vi, quam Heusdius in studiis suis historicis Polybio tribuebat, nos autem e suavissima ipsius

---

1) Jam anno 1829. Cff. *Br. over H. Ond.* p. 272, ed. sec.

2) Vid. *Voorberigt der 3e uitgave van Br. over H. Ond.* p. XVI; quacum omnino cf. *Socrat. School* IV, 168, ubi primum titulus operis occurrit. Cff. etiam *Br. over het beoefenen der wijsg.* p. 81.

3) Cf supra p. 165.

4) P. 5. sqq.

descriptione dudum cognovimus. [1]) Et quandoquidem regiam historiae diligenter et ad summam salutem nostram colendae viam indicare volebat, haec prioribus adjunxit verba: sive *historiologia saeculo undevicesimo apta.* [2]) Hujus firmissimum, ipso judice, fundamentum est critica, eaque non solum *literaria*, in fontibus dijudicandis occupata, sed etiam reapse *historica*, a temporum confusione eorumque ex nostro aevo contemplatione avocans, inducens omnino in peculiarem singularum aetatum indolem et sic viam sternens ad historiam ipsam penitus cognoscendam atque ex vero dijudicandam. [3]) Illo autem titulo universo primum operis volumen *Specimen* continet *historiae generis humani et humanitatis, ad explicandam quaestionem:* «quo modo in illius historia indagari hujus historiam oportet? [4])» Hîc igitur neque universalis nec singularum gentium historia enarratur, sed eo omnia pertinent, ut diversa generis nostri diversis temporibus studia et sensus probe animadvertantur, quo evidentius pateat, *hominis* in homine progressionem aeque cerni similique omnino progrediendi modo apparere in genere humano atque in singulari homine. Nos haec adumbravimus supra, de historicis Heusdii scholis dicentes; quibus quotquot posterioribus annis paulo diligentius interfuerunt, praeceptoris nostri meminerint, suam nobis sententiam exponentis de aeta-

---

1) Vid. supra p. 50.

2) Cf. omnino *School van Polyb.* p. XI seq.

3) Eod. p. 10.

4) *Proeve eener Geschiedenis des Menschdoms en der Menschheid, ter beantwoording der vraag:* «hoe in de geschiedenis des menschdoms de geschiedenis der menschheid op te sporen?»

tum successione in vita generis humani conspicua; verum *et* ipsi longe uberiore et firmiore singulorum explicatione admodum delectabuntur gratissimique eâ fruentur, *et* alii optime discent, quanta ex observationum copia ac gravitate Heusdio concludendum videretur, genus humanum provectiore quidem humanitatis gradu in Graecia et Italia prodire quam in regionibus Orientalibus, sed in Germanicis demum Europae gentibus ad virilem tendere maturitatem. Has opiniones dici vix potest quam diu ille quamque sedulo exploraverit. Non omnes, quibuscum eas identidem communicaverat, sibi assentiri tenebat. Horum autem sive dissensione sive dubitatione motus, investigandi diligentiam intendebat, nihil in his tantopere, quantopere illud *nubem pro Junone*, reformidans. [1]) Sed quo accuratius, criticae ope, in omnem historiam incumbere studebat, eo certiora ipsi et vero simpliciora videbantur ea, quae, in hanc partem exposita, in publicam tandem notitiam perferre decrevit. Et his opinionibus quid consequens sit, recte videt traditque illud in *Specimine* suo. Nam, quum *hominem* perpetuo attendat in genere humano et hoc, quippe ex hominibus constans, hominis instar, humana prorsus ratione se exserere animadvertat, non nimiam externis rerum momentis vim tribuit, nedum vitam populorum velut machinam extrinsecus moveri censet, sed principia agendi ipsis insita, sed *αὐτουργίαν* loquitur, quibus genus humanum, Divina Providentia moderatrice, per saeculorum decursum se exseruerit et ad summam paulatim maturuerit institutionem, quae posita est in religione

---

1) Eod. p. 254.

Christiana. Huc autem delatus locum se nosse ostendit, unde jam res gentium spectari oporteat. Plus nobis, quam Polybio, videre contingit, ignoranti et alia multa et orbem illum gentium Germanicarum, in quo celsiora principia quam in Orientalium et Graecorum deinceps Romanorumque orbe conspiciuntur, cujus igitur contemplatione et cum prioribus saeculis comparatione suspicari demum recentiores *humanitatis* in genere humano progressionem potuerunt. Sed hîc neutiquam est subsistendum. Locum, unde omnes in partes speculemur, nos occupare oportet editiorem. Quemadmodum Polybius e veteris philosophiae in primis politicae principiis rerum gestarum causas ducere studuit, sic nostrum est, historiae recentioris penitus explicandae gratia, religionem Christianam hujusque naturam diligentissime attendere. Nisi ille politica illa philosophia imbutus fuisset, suam veteris historiae partem aegre perspexisset, nos nisi pasti et roborati simus religionis Christianae praeceptis ejusque praeterea indolem philosopha ratione exploraverimus, tum in medio aevo, tum in posterioribus temporibus dijudicandis haereamus necesse est. Haec enim tam penetravit in mores populorum quam late se extendit, haud similior κόκκῳ σινάπεως, unde procera arbor enascitur patulis opaca ramis, quam ζύμῃ totum panem fermentanti: haec applicans sese ad erectiorem, quae in gentibus Germanicis latebat, indolem, et hanc elicuit et vitam hominum populorumque internam, moralem, veram omnino vitam aluit atque confirmavit; et, quandoquidem tum naturâ suâ se infinite propagat, tum vim sese tuendi invictam continet, nihil omnino constantius eâ efficaciusque generis humani saluti provehendae inservire poterit: haec non

modo sive nova sive una vera atque perfecta religio, sed amplius quid excelsiusque fuit, via omnino *παλιγγενεσίας* fuit generis humani ad novam vitam, in qua ipsa et hodie progredimur et progrediemur tamdiu, quamdiu genus humanum plenissimam aliquando consecutum erit ingenii animique maturitatem: haec igitur specula esto, unde observemus quid genus nostrum ante *τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου* fuerit, qualeque postea et vero per religionem hancce evaserit. [1]) — Sic Heusdius primo *Scholae Polybianae* volumine disserit, non theologum, sed historicum agens, et, quod animadversione dignissimum est, sic demum, criticae ope, historiam fieri censet *lucem veritatis*, imo *vitae magistram*, quae, quo simus loco, quibusnam progressibus, qua ulterius progrediundi necessitate et voluntate, quo denique modo convertere praestantissima quaeque priorum saeculorum in usus nostros possimus, luculentissime doceat. Huic autem volumini, quod ne ipsum quidem ultima lima a scriptore ornari potuit, sed suadentibus tamen eruditissimis viris editum [2]) et nunc unum in manibus est, quo minus alia addiderit Heusdius, morte impeditus fuit. Ex schedis enim manu scriptis patet, eum criticae *historicae* momentum, cujus Specimen exhibuerat, diligentius etiam majoreque exemplorum varietate illustrare et commendare voluisse; scribere saltem decrevisse et *historiae* tam *universalis* atque *ecclesiasticae*, quam *philosophiae*, et *eloquentiae* atque *mythologiae criticam*. Sed singulis elaborandis quum, absoluta demum *Schola Socratica*, operam daturus fuisset,

---

1) *School van Polyb.* p. 197 sqq.
2) Eod. p. XIII.

intelligitur scribendi vix initium fieri potuisse. Conjicere tamen licet, principiis priore volumine positis de triplici populorum orbe, suis quoque studiis conspicuo ac singularis hominis instar progresso, his igitur principiis nisura omnia fuisse. [1]) Potuissetne Heusdius, unum jam supra sexagesimum annum agens, in paulo diuturniore vita, cunctos hosce absolvere labores, equidem non definio. Sed illud sane dubio caret, cogitationem instantis senectutis nihil de arduorum consiliorum cupidine detraxisse. Eadem prorsus alacritate senescens ille *Scholam Polybianam* persequi aliaque huic addere decrevit, qua virili aetate *Initia philosophiae Platonicae* inchoaverat.

Haec habui, quae de Heusdio scriptore pro hujus Scriptionis argumento et virium mearum tenuitate dissererem. Saepe mihi in mentem venit sententia Heereniana: « nemo opus scribit haud periturum, cui illud non vitae munus pensumque fuerit. » [2]) Hujus sententiae partem alteram — nam de altera nihil temere divinabam — sed partem posteriorem in Heusdium vel maxime quadrare censebam. Nondum ille e Wyttenbachiana disciplina prodierat, quum pensum illud suum suspicabatur. Hemsterhusium, Valckenaerium, Ruhnkenium, saeculi superioris lumina, venerabatur, diligebat insuper Wyttenbachium, horumque iis, quibus par erat, laudibus ornabat veterum interpretandorum rationem. At cujusquam eorum se aliquando similem futurum, lecta in primis *Ruhnkenii vita*, non amplius credebat. In flagrantissima

1) *School van Polyb.* p. XV.
2) Heeren *Histor. Werke* VI, 546.

a Wyttenbachio proficiendi cupiditate suam sequebatur naturam, quae, quum a nullo sane illius temporis doctore tantum alimentum, quantum ab illo revera accepit, potuisset accipere, ad interiorem tamen, quam quae vel hinc manabat, tendere videbatur Socraticae philosophiae et naturae humanae cognitionem. A Platonis aliquando edendi consilio alienus ille, perpetuo tamen redibat ad Platonem, hunc, quo magis intelligere coeperat, eo magis fore augurans, unde tum ad hominem cognoscendum tum ad quaestionem de artium disciplinarumque necessitudine perspiciendam initia et quasi semina susciperet. Atque haec eum inde suscepisse et tam philosopha quam historica hominis gentiumque contemplatione diutissime fovisse vidimus. Nam gentium quoque historiam eum recordamur ab initio temporis Trajectini si minus coluisse, at cogitasse et optasse cum historia humanitatis conjunctam [1]). Ubi autem hac multiplici plurium annorum meditatione, diligentissimo etiam hominis in discipulis suis observatione assequi tandem, quae plurimum faciebat, quodammodo coeperat; tum vero nec Platonis sui oblitus est, cujus in *se* meritis paria in alios merita exstare voluit, et Encyclopaediam artium atque disciplinarum ex homine ductam ad hominem relatam conscripsit, et omnino ea composuit opera, in quibus ex hominis cognitione, tamquam limpidissimo fonte, omnes duceret hominis penitus instituendi conatus. Sic ex iis, quae Heusdius florente, ne dicam juvenili, aetate ingenio conceperat, duodecim postremis vitae annis praecipua ejus prodierunt

---

1) Vid. supra p. 48.

scripta. Haec autem virum referunt in antiquitatis, Socratis maxime atque Platonis, schola eruditum, huic multum se debere ostendentem et hinc demum progressum ad recentiorum temporum optima potius quam novissima quaeque accurate consideranda suosque in usus convertenda, non igitur acquiescentem in docta singulorum explicatione, sed vehementissime optantem, ut e scholae angustiis magis magisque prodeat et generi humano prosit philosophia, idque profecto agentem, ut scriptis suis alios excitet ad cogitandum [1]), imo vero ad introspiciendos et perficiendos semet ipsos et verissimam societatis salutem provehendam. Suâ omnino Heusdius, sicuti perspicue patuit, in his omnibus versatus est ratione, oppositâ interdum ei, quam sequi multos constat, neque tamen semper novâ, sed ex iis nonnumquam haustâ, quae vel tradita olim vel indicata, neglecta post Aristotelem fuisse dolebat. Quid? quod, prouti et nos saepius vidimus et satis ad eum rite dijudicandum animadverti non potest et ipse adeo fassus est [2]), ne philosophus quidem vocabulo ad vulgarem sensum exacto fuit. In memorabili sententia de philosophia perperam disciplina haberi solita ad ultimum vitae tempus perseveravit [3]). Quae sane perpendentibus superioremque recordantibus disputationem perspicuum, quomodo scriptis ejus continerentur, quibus alii haud assentiendum sibi putabant; quorum quidem Clarissimi duumviri De Greuve et Nieuwenhuis suas dissentiendi

---

1) Id ipse vidit. Cf. *Socrat. School* IV, 180.
2) Vid. v. c. eod. p. 8 et 180.
3) *School van Polyb.* p. 2.

causas peculiaribus libris exposuerunt. [1]) Heusdio, si qui ab ipso dissentirent, non omnino inexspectatum accidere poterat; suarum enim opinionum tenebat a multorum placitis discrepantiam; in quibus ut ipse habebat quod libere reprehendendum judicaret, ita se cunctis persuasurum, omnesque illos, quorum in animis placita ea radices egissent, secum facturos esse, credere ei haud licebat. Inde non tantum ejus studium repeto eximiis juvenibus scribendi, sed ea etiam interpretor loca, quae, quantam in his spem collocaret, perspicue ostendunt. Veluti *Initiorum* volumine tertio, de philosophiae Graecae a Platone excultae ubertate, nostris temporibus adhibenda, dicens, juvenes continuo memorat. Nam «veterani philosophi — inquit — quotquot quidem alieni fere fuerunt a studiis hisce nec a tenera inde aetate hanc philosophandi rationem degustarunt, aegre se trahi ad hos fontes sapientiae patiuntur; juvenes vero, quibus naturâ inest philosophia quaedam, ut semel, hac ingenii animique integritate, ex his naturae fontibus hauserunt, incredibile dictu est, ut vigorem inde trahant continuo, aptique deinceps fiant sive ad philosophandum sive ad nullum non artium et doctrinarum genus et colendum et provehendum. Quod expertus equidem per omne hoc tempus sum, quo philosophiam illam antiquam, maximeque Socraticam et Platonicam generosis adolescentibus tradidi.» [2])

---

1) F. C. De Greuve, *in antwoord op de Brieven van den Hoogl. Ph. W. Van Heusde, benevens de wederlegging van het derde deel der Socratische School.* — *Ph. W. Van Heusde, de Socratische School, vierde deel, de Metaphysica, nader toegelicht en beoordeeld* door J. Nieuwenhuis.

2) P. 8. Cff. *Br. over het beoefenen der wijsg.* p. 59 et in primis

Haec legentes in memoriam rediremus *doctoris*, si ejus, in *scriptoris* mentione, parum meminisse potuissemus. Sed hunc, de quovis prius quam de Heusdio agentibus *separatim* animo obversari crediderim. Tanta, quemadmodum ab initio significavi, alteri intercedit cum altero necessitudo. Eadem in scriptis atque in scholis disserendi perspicuitas, copia, socraticae et methodi et philosophiae vis, eadem Latinitatis elegans facilitas et nativa

---

Socrat. School IV, 190. Sed quo evidentius pateat, quantopere Heusdio juvenes obversarentur horumque institutio ipsi curae esset, titulus apponendus est, quo libens aliquando pleraque sua opera conjuncturus editurusque, additis nonnullis et mutatis, fuisset. — De Oude of Wijsgeerte voor de Negentiende Eeuw. Eerste proef. *Over den mensch in de tijdperken zijner jeugd*, *als kind*, *knaap en als jongeling*, ter beantwoording der vraag: «*welk is de aard en strekking van hooger onderwijs?*» Leesboek voor Studenten bij hunne komst op de Hoogeschool. — Tweede proef. *Over de wijsgeerte der talen*, *inzonderheid onzer moedertaal*, ter beantwoording der vragen: «*hoe komt de mensch tot waarheid? hoe komt hij tot deugd? hoe moeten wij eenmaal tot wijsheid komen?*» Leesboek voor Studenten bij den aanvang hunner studien. — Derde proef. *Over kunsten en wetenschappen*, *derzelver beginselen*, *doeleinden en onderling verband*, ter beantwoording der vraag: «*wat is Encyclopedie?*» Leesboek voor Studenten tot overzigt hunner studien. — Vierde proef. *Over geschiedenis en wijsgeerte*, ter beantwoording der vraag: «*wat leert ons de geschiedenis des menschdoms omtrent de geschiedenis der menschheid?*» Leesboek voor Studenten die hunnen kring nog wat wijder willen uitbreiden. — Vijfde proef. *Over wijsgeerte en geschiedenis*, ter beantwoording der vraag: «*wat doet ons de geschiedenis der menschheid voor het menschdom hopen?*» Leesboek voor Studenten bij het eindigen hunner studien. — Zesde proef. *Over wijsgeerte en godsdienst*, ter beantwoording der vraag: «*welke is de natuur en de bestemming des menschen?*» Leesboek voor Studenten bij hunne intrede in de maatschappij. — Zevende proef. *Over mij zelven.* Naschrift van den uitgever dezes werks. Leesboek voor Studenten en ook voor Hoogleeraren.

simplicitas, qua, ut virilis aetatis scripta longe Praefationem *Speciminis Critici* et Orationem *de Antiqua Eloquentia* superant, ita ipse a multis distinguitur latina oratione utentibus: eadem porro quum omnia velut ex edito quodam loco observandi diligentia tum vero benevolentiae erga homines atque amoris significatio, idemque hoc ipso amore nitens studium sensus et facultates omnes, quae in mente lateant, movendi, suscitandi, ad optima quaeque convertendi: antiquitatis eadem uberrima contemplatio, qua videre volenti et hominem judicanti ante excolendum, quam medicum v. c. politicumve informandum, non dubium relinquitur, quid aliis praeterquam antiquarum literarum studiosis veterum monumenta prosint: idem denique in scribendo atque instituendo propositum eo imbuendi scientiae amore, qui ducat ad sapientiam. Et hoc quidem minime dubito, quin Heusdii doctoris et scriptoris consilium summum fuerit. Cui si consequens erat, ut cum disciplinarum progressibus arctissime conjunctam ille optaret hominis et societatis ad verissimam humanitatem progressionem, vide quam ardua optaverit. Haec enim progressio non ὀστράκου est περιστροφή, sed ingenii animique ad veritatem conversio. Hîc sapientiae, quae vulgo dicuntur, effatis, menti infixis, et opportune hinc avocantibus, ducentibus illuc, non omnia continentur, sed omnis perfectionis studium spectatur, e conscientia sui succum atque vigorem ducens; quo quid gravius, quid convenientius divinis, quibus homo instructus est, facultatibus, quid et dignius quo referantur omnia, et efficacius ad ea diligenda ac promovenda, quae infinitis rationibus vim habere ad istiusmodi progressionem pos-

sint et debeant? [1]) Verumtamen illa de Heusdio *affirmasse* non sufficit. Fontes volumus eorum, quae tam docendo quam scribendo potissimum spectavit. Hunc autem novi unum, quem age adeamus continuo. Ipsum virum intelligo, cui interius inque universa vivendi agendique ratione cognoscendo nondum ea, qua oportet, diligentia operam dedimus.

Et alia saepe cogito Heusdii dicta, in quibus adumbratam ejus mihi cernere videor imaginem, et hoc saepissime reputavi effatum, boni civis primordia in pietate filii, in discipuli diligentia, in amici fide latere. [2]) Nam sic statuentis nec tritas de civis bonitate opiniones nec mala primordia fuisse suspicabar. Jam haec nobis, hujus initio Scriptionis, eatenus innotuerunt, quatenus investigari posse videbantur. Quodsi praeceptoribus discipulum se valde commendasse apparuit, parentes constat hujusmodi filium ornasse testimoniis, quibus nihil dulcius liberis cariusque per totam vitam obtingere potest. Pater eum decus suum atque delicias vocabat, cujus cogitatione senem a moerore recreari consuevisse ex literis ipsius intellexi; et mater

1) «Kennis is veel, maar toch niet alles; is niet eens het wezenlijkste. Het wezenlijke ligt ter linkerzijde in de borst, des menschen waarde zit in het hart. Bewaart dit rein en onbevlekt.» Sic studiosam juventutem Tegnerus alloquitur. Vidd. *Redevoeringen van E. Tegnér, uit het Zweedsch vertaald* door A. C. Holtius 1840, p. 88. Cujus versionis censor haec animadvertit: niet zelden vonden wij hier, in gedachten, lessen en vermaningen, eene treffende overeenkomst met die, welke wij Nederlanders bijzonder aan onzen Van Heusde in zijne voortreffelijke *Brieven over Hooger Onderwijs* verschuldigd zijn. *Rec. ook der Rec.* a. 1841, N°. 1, p. 41.

2) *Br. over H. Ond.* Voorb.

moribunda « tu — inquit — mi fili, gaudio me cumulasti, tuâ causâ nullas umquam lacrymas emisi. » Pariter cum caritatis significatione juvenes loquebantur ei intimi, addentes saepe, se plurimum condiscipulo suo debere. Leidae praesertim neminem eo usum familiarius esse accepi, quam Vaillantios fratres. Horum alter Corn. Reinh. a. 1803 absenti amico scribebat, quae praesenti dicere verecundabatur, quanti eum faceret, quanta ejus in se merita censeret, quum amici praestantissimi consuetudine, exemplo, fide, consiliis in cognitione sui, in pulcri bonique amore progressus fecisset, in viam omnino venisset se magis magisque excolendi deinde et emendandi. Quae ille juvenis statuebat, recte se statuisse virili aetate affirmavit, nihil in hac amicitiae significatione fratri cedens natu majori, qui, lecta Heusdii *ad Creuzerum Epistola*, in dulcissimum se translatum esse tempus scribebat, quo quidquid et ab amico et a communi utriusque praeceptore, Wyttenbachio, susciperet, ingenium ipsius animumque roboraret: sibi illam consuetudinem numquam animo obversari, quin gratissimus eam in maxima referret vitae suae bona.

Qui vero e laudabilibus pueritiae et juventutis primordiis de aliis bene sperabat, qualis civis hinc ipse tandem prodiit? Haec quo gravior est quaestio, eo paratiores nos ad illam explicandam venire oportet. Quamobrem ante juvat domesticam spectare Heusdii vitam; cui praeterea vitae nescio an arctior plerumque, quam multi putant, cum superiore aetate intercedat necessitudo.

Postquam Heusdius Trajecti supra biennium caelebs degerat, iniit, quod ante memoravi, matrimonium[1]),

---

1) Vid. supra p. 82.

ipsi eo tempore haud exoptatius quam felicius per reliquos tres et triginta vitae annos. Jam dudum ille magni fecerat feminas, ac libentissime iis interfuerat circulis, qui, cultiorum feminarum praesentia, ad exquisitam sermonum suavitatem et elegantiam compositi erant. Antequam uxorem duxerat, multus adeo in pomeridianis erat salutationibus, et crebro a cultissimis quibusque Trajectinis ad coenam invitatus, plurimum semper mixto delectabatur convivarum ordine, quorum vero sive festivitatem et acumen, sive confabulandi dulcedinem et utilitatem, quum jam jam cohibiturae chartulae lusoriae essent, tum Heusdius, quo bonis horis parceret, sibi abeundi tempus adesse ducebat. Hac autem jucunda consuetudine non modo ad veram profecerat urbanitatem, insito ipsius studio pulcri ac decori consentaneam, sed ea etiam honoris significatione ipsam feminam prosequi didicerat, quae uxoribus, justo sui sensu vigentibus, gratissima evenire solet. Hoc fundamentum aliquod constantis et crescentis amoris esse, ipsius uxor experta fuit. Ac ductâ quidem eâ, Heusdius ita solus vivere desiit, ut non omnes viri docti a se fieri posse putant. Quidquid a munere et variorum necessitate officiorum liberum erat temporis, id omne coram conjuge traducere solebat. Mane in museum se suum recipiebat; reliqua diei parte, quaecumque in studia incumbebat, ipsius praesentiam exoptabat, quacum interea nonnihil sermonum consereret cujusque de hoc illove argumento, judicii sanitate perspiciendo, sententiam exploraret. Neque etiam relaxationis horas sic dividebat, ut et amicis et ambulationibus et nullis non rebus daretur aliqua, conjugi vero aut nulla superesset aut rara. Cum ipsa tam artis quam naturae deliciis frui, et vero multum legere com-

munique librorum, utile dulci miscentium, lectione ab ingenio se invicem et animo excolere solebat. Hanc autem dulcissimam et utrique perutilem vivendi rationem aliquot annis post eae nonnihil immutarunt suavissimae curae, quae prouti bonae uxori omni fere tempore constant, ita maritum, in studiis assiduum, paulo arctius museo suo devinciunt. Et hae curae ubi a. 1810 morte filiolae anniculae extemplo sublatae erant, renovatae sunt biennio post et auctae dehinc natalibus trium deinceps filiorum duarumque filiarum. Exin vero Heusdianae domus summopere crevit felicitas. Conjuges tenerrimo adhuc amore semet prosecuti, jam eo arctiore copulabantur caritate, quo major utriusque consensio apparebat in liberis sapienter et ad veram ipsorum salutem accommodate diligendis, quoque efficacior voluntas prodibat eorumdem studiosissime educandorum. Uxor eos tenella aetate non temere relinquere, nedum famulis ancillisve curandos oblectandosve tradere, ipsa curam eorum agere omnem, ludis adesse, mox corpori non constantius prospicere quam diligentius mentem singulorum attendere, id optans praecipue, ut haec sana aliquando in sano illo habitaret; idcirco eam, si opus videretur, vel prudenti amoris duritia flectere conari, idcirco, quod excellentissimum dicas matris munus, mature eos ad Dei reverentiam erigere atque summa omnino ope niti, ne aetas, imitandi studio flagrans, ex ipsius dictis factisve aliquid indecori susciperet. Maritus et haec omnia impense probare et pariter exempli bonitate liberis praeire et consuetudinis dulcedine eos ad se allicere, paulatim instituere atque ad virtutem informare, denique uxori vehementer assentiri, hoc, si quid aliud, tenenti, nullis prorsus

sibi parcendum esse sumtibus, ut optima ab omni parte liberis obtingeret institutio. Sic consentientes in re gravissima, haud dissentiebant in ceteris. Nisi forte dissensionem in quavis ponis opinionum varietate, quae tamen a sana conjugum mente abesse nec poterat nec debebat, sed salutaris utrique erat, quod alterum attentius ea, quae alterius inprimis propria essent, spectare atque ex his proficere docebat. Id Heusdius saepe fatebatur, cui quo loco uxor fuerit, iis expressum plane exstat verbis, quibus ipse eam aliquando dixit *rerum suarum omnium participem.*[1]) Nam nihil apparebat dividuum, nihil quod alteruter sui juris esse perhiberet. Erant in rei domesticae procuratione, quibus eam ab uxore operam dari gaudebat maritus, ut sua, minus fortasse vel diligens futura vel assidua, parum requireretur; sed, quidquid illa sive in his sive in aliis vitae negotiis, gravioribus adeo neque suos semper spectantibus, commendabat, jucundum fere huic accidebat, neque umquam temere negligebatur. Novi, quibus Heusdius variorum beneficiorum auctor exstitit libentissimus, quae tamen num sibi singula *opportune* in mentem ventura fuissent, dubitare solebat. Omnino persuasissimum utrique erat de felicitate sua in felicitate alterius infixa, et, prouti mulier studiosissime viri commodis prospiciebat, sic eo quoque beata fuit amore, unde ipsa sibi intelligere videbatur pristinam filii in parentes pietatem. Hinc Heusdiana domus concordiae, amoris optimarumque virtutum domesticarum sedes exstitit et visa semper omnibus fuit, qui eam plurimum adierunt.

---

1) *Protrept. ad bon. art. Stud.* p. 9.

Atque haec multis patuit in conjugum liberalitate majoreque amicos hospitio excipiendi quam eorumdem hospitio utendi studio; patuit autem cultissimo et honestissimo cuique maxime, quales haud pauci intima familiaritate Heusdio conjuncti erant. His autem sermonum placebat, qui illic Heusdio sive praeeunte sive eliciente conserebantur, jucundissima in summa varietate utilitas. Nam de sua quisque arte et disciplina, aut e multiplici rerum hominumque usu, perspicue apteque disserens gratus erat viro φιλομαθεῖ atque id potius agenti, ut, quo singuli se commendarent, in eo exspatiandi opportunitas esset, quam ut inepte eos propria obrueret eruditione. Hinc plurimum gaudebat coetu illo literario, quo singulis Mercurii diebus jungebatur cum doctissimis quibusdam nullarum non disciplinarum cultoribus. In his Schröderus erat, vir egregie eruditus et probus, cui ille in philosophia, etsi nonnumquam dissentiens, multum se debere affirmavit [1]), quemque, certo scio, amicissimi viri, qui ipsum in primis suspexit, haud facile capiet oblivio. Heusdius autem sermonis dulcedine alios saepe tenebat, et, quando facundiae minus indulgebat, peculiari tamen comitate afferebat, quod aut acumine et elegantia, aut cogitationis novitate atque momento insigne erat utiliumque porro sermonum ansam dabat. Multi saepe mirati sunt, quae proferebat non de iis studiis, in quibus assiduus erat, sed de iis variorum temporum poëtis atque scriptoribus, in quibus aetatis et nationis cujusque expressam sibi cernere videbatur imaginem, tum vero, si quid novi dies attu-

---

1) *Socrat. School* IV, 144.

lisset, hujus rei mentione injecta, vel spectaculis dramaticis musicisque commemoratis: adeo de his quoque aliquid plerumque venustae, acutae, sanae animadversionis habere cultis hominibus videbatur. Et acutis quidem sapientiaeque plenis aliorum effatis quantopere delectaretur, ut illi saepe animadverterunt, sic symbola etiam indicant, ejus scriptis scriptorumque partibus praemissa, saepeque in summa brevitate totius disquisitionis rationem, momentum, consiliumve apprime declarantia. Sic, ut his utar, spiritus intus alit symbolum est Platonicae disputationis *de amore: Epistolis de Institutione Superiore* praemittitur festina lente: nosce temet ipsum *Encyclopaediae* initio monetur: simplex sigillum veri exordio ponitur *philosophae disquisitionis in linguis: ἐν βυθῷ ἡ ἀλήθεια* titulus *metaphysicae* continet: ne quid nimis *Epistolae* praecipiunt *de studio philosophiae:* sine ira et studio professio est *Characterismorum*: ardua quae pulcra quaestionem praecedit de *historia humanitatis in generis humani historia indaganda.* Interdum vero ipse e suo rerum hominumque usu aut e studiis literarum istiusmodi sapientiae effata promebat, quorum quae inseruit *Epistolis de Institutione Superiore*, multorum memoriae infixa dignaque profecto sunt, in quibus vita exprimendis haud minorem, atque ille posuit, nos operam ponamus. [1]) Neque in levioribus, librorum v. c. titulis nummorumque et lapidum inscriptionibus, si quid exquisiti acuminis inesset, id parum sentiebat atque probabat. Veluti illa apertis Rheni

---

1) Vidd. p. 13, 32, 99, 106, 126, 145, 200.

o s t i i s, quae in nummo Canalis Cattovicensis leguntur, et vero verba nummi primis Academiae Trajectinae Saecularibus cusi a t r i u m l i b e r t a t i s, s a p i e n t i a e t e m p l u m, et Lucretii illud

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo: juvat integros accedere fonteis.

quum tandem intellexisset quo sensu Hemsterhusianae praemissum esset de *homine ejusque relationibus* epistolae,[1]) illa igitur quantopere ei placebant! Ejus autem in talibus dijudicandis elegantem quamdam subtilitatem ut multi se *libentes* expertos esse recordabuntur, ita et ὑπογραφὴν vexilli in Senaculo Trajectino asservati ab eo inventam[2]) et Minervae imaginem in nummo Academiae Saeculari altero iis ornatam esse verbis, in quae ipse atque Mollius, collega ei valde dilectus, eodem fere tempore inciderant,[3]) hoc fore credo, qui libenter accipiant. — Sed ab Heusdii amicorum, cum ipso sermocinantium, judicio deflexinus, quos praeterea haud fugiebat aedium omniumque, quae iis continebantur, cum earumdem domino convenientia. Heusdius enim, ut Nepotis de Attico verbis dicam, in primis bene habitabat: elegans, non magnificus, splendidus, non sumtuosus: supellex exquisita, non multa: cuncta omnino congruentia viro, quem peregrini adeo suis ad ipsum literis urbanitatis exemplum vocabant. Et sane hanc quaevis

---

1) *Socrat. School* IV, 161.

2) Heringa in Orat. p. 85 laud., p. 140.

3) Volo tria illa subscripta: p o s t f a t a s u p e r s t e s: de iis enim, quibus cingitur imago, verbis *a u s p i c e D e o s e r v e t u r i n c o l u m i s*, quidquam me ab Heusdio accipere non memini.

ejus dicta et facta spirabant, tam nihil quaesiti et a naturali elegantiae simplicitate alieni continentia, quam nullis umquam ruris vestigiis affecta. Equidem vidi virum in scholis: vidi in museo, in hominum frequentia, in domestico uxoris et liberorum amicorumque coetu: vidi in urbe, in itinere, ruri: in domo ejus tantum non vixi: humanitatem autem neque in seriis desideravi umquam neque in jocis, quorum venustissimis floribus interdum utebatur, saepeque verissime eos praedicare sensi, qui Heusdium non tantum ipsum decoro satisfacere, sed etiam pudorem tibi injicere atque obesse dicerent, quominus decoro coram ipso *parum* satisfaceres. Quis igitur non libens *eum* ad incitandos juvenes tritum illud pronuntiantem audiebat?

Ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Verum in domesticae vitae contemplatione vinculum ne mittamus sanequam arctum, quo vita illa praecipuis Heusdii studiis juncta fuit. Erat ei, ut ubique vidimus, primarium studiorum argumentum *ipse homo.* Hunc penitus cognoscere, hujus ad humanitatem progressionem, tum optime excolendi emendandique rationem perspicere gestiebat. Jam undecumque et lectionis et observationis et meditationis diligentia proficeret, non ita aliunde suum sibi quaerebat tamquam ingenii pabulum, eos ut non diligentissime attenderet, qui in conspectu ipsius et maxima caritate vivebant. Frui domesticae vitae suavitate parum erat, nisi eam mente comprehenderet connecteretque cum iis disquisitionibus, in quibus perpetuo versabatur. Sic omnia non modo suaviora, sed etiam praestabiliora sibi fore judicabat. Ex hoc fonte multi identidem ejus sermones manarunt:

inde a. 1815 ingeniosissima fluxit et generosis animi sensibus referta scriptio *de amore in matrimonio*, quam, ad hos sensus scribendo sibi illustrandos et effundendos compositam, videri voluit aliunde in patrium sermonem transtulisse et strenam vocavit, qua personatus quidam maritus suam ipse uxorem calendis Januariis donavisset. Nam de edenda ea cogitavit, sic statuens, «ad hominum felicitatem promovendam, rem omnium gratissimam, eos in primis monendos, quam felices esse possint.» Sed ficto illo titulo non diu latuisset familiares, iis quippe temporibus proximis, quibus opinionum de historia humanitatis et amplitudo et maturitas magis magisque prodibant. Agnovissent illi scriptorem ex animadversionibus de progressione generis humani in feminarum conditione conspicua, de peculiaribus earumdem laudibus atque facultatibus et insigni ob has ipsas momento ad excolendos viros, de amore ab amicitia probe distinguendo, maturae apto hominis aetati, velut sedem habente in matrimonio, efficacissimo ad virum et feminam sic inter se excolendos, ut hac demum mutua vi talis uterque evadat, qualis evadere potest. Et, si fine scriptionis haec legissent ficti scriptoris verba: «Parum novi in ea uxor reperiet. Quod bene dictum est, ipsi fortasse debeo. Neque etiam opusculum laudabit, sed animus ejus inter legendum tenerrimis afficietur sensibus, me perpetuo cogitaturae, quemadmodum ego inter scribendum, perpetuâ ipsius memoriâ, iisdem sensibus movebar. Et cum voluptate illud leget dilecta uxor; nam inter legendum se felicem esse sentiet, quia me felicissimum reddidit, quia ego per ipsam me felicissimum sentio.» in haec igitur verba ubi incidissent Heusdii familiares, haud aliena,

credo, eadem ab amici opinionibus sensibusque pronuntiaturi fuissent. Pari diligentia Heusdius erat in liberorum educatione cum studiis suis conjungenda. Tenebat illud, hominem in tenella aetate latere totum. Hinc quomodo se ipse paulatim exserat et educationis institutionisque prudentia opportune juvandus sit, non *pater* primum indagaverat. Attamen de pueritia et adolescentia minus illi constiterat quam de juventute, longo etiam usu cognita. Hoc igitur usu quam primum in ceteris quoque aetatibus duce uti licebat, liberos suos sedulo attendere coepit. Exin plenius intelligere earumdem aetatum naturam, vim, studia, appetitus, discrimen, justam denique singulisque congruentem institutionis viam, et sic progressus in cognitione hominis eos facere, quorum momento nec liberos suos carere voluit et, scriptis praesertim de Academica institutione Epistolis, multos sibi devinxit parentes.[1]) Sed meminimus, de Heusdii sententia harum aetatum successionem aeque in generis humani atque in singularis hominis vita cerni. Hoc autem verene statueret, ut multiplici via summoque studio explorabat, ita adhibitis quoque liberis inquirebat.[2]) Nam delectare ipsos in pomeridianis maxime ambulationibus, quarum vegeta aetate adeo amans fuit, ut, nisi curru per agros vehi liceret, nihil ei hac hora jucundius accideret, tum igitur liberos delectare narrationum suavitate solebat. Argumenta e mythologia omnique historia petebantur ea, quae generis nostri conditionem plurimum referre

---

1) Cff. eae inde ab *Epist.* V.
2) *School van Polyb.* p. 119.

viderentur. Talia pueris illis saepissime narrabat e rebus ac traditionibus Orientalium; adolescentulos sensim transferebat ad historiam Graecorum et Romanorum; cum aetate progredientibus facta potius communicabantur gentium Germanicarum. Quum liberi a patris ore pendebant, hic totus in eo erat, ut quaerendo et eliciendo videret, quid flagrantissimam illam audiendi cupidinem, lucentem in vultu, pareret, quatenus in rebus v. c. Achillis, Bruti, Fingali aliquid inesset, quod penitus conveniret studiis affectibusque aetatis ipsorum propriis.

Quicumque in domestica Heusdii vita non plane sunt hospites, tenent, quanti ille fecerit horas matutinas. Frequentabat sermone illud, a Crasso sibi serio mandatum *horae matutinae serenitatem*, *vespertinae tranquillitatem afferunt*. Quovis anni tempore multo mane surgebat, e veteri consuetudine, cujus auctor ei idem exstiterat Crassus, juvenem tenui interdum valetudine utentem pallentemque ex assidua lucubratione etiam atque etiam hortatus, ut nocturno studiorum tempori substitueret matutinum. Praeceptori ille magis in mutando, quam in minuendo studiorum tempore,[1]) dicto audiens, paulatim morem contraxit inter horam quintam et sextam in museum se suum recipiendi. Jam de juvenili aetate nihil affirmo; sed quod posteriores annos attinet, ita hujus consuetudinis tenax erat, tam aegre illis horis saluberrimae solitudinis carebat, ut, si vel in itinere iis frui haud liceret, parum sibi per reliquum diem placere videretur. Quod non explicandum e metu est diei alioquin perdundi. Nam haud adstrictus certo tempori locove in meditationis gravitate

1) Vid. supra p. 29.

erat, et quando reditus ad libros interdum dabatur nullus, ad studia tamen renovabatur aditus ei, quem non ambulantem modo, sed etiam curru vectum et ubicumque locorum *sibi* relinqueretur, in studiis totum versari potuisse novimus.[1]) Verum ideo mane sibi eripi nolebat, quia tum maximâ erat ad difficillima quaeque et perspicienda et scribendo illustranda alacritate. Praeterea tempus illud erat animi diligentissime in semet ipsum convertendi, quo interna vita aleretur. Ab hoc intimo usu diem exordiri solebat. Nam hinc exordientibus praesto esse ajebat, quod per totum diem in omni negotiorum varietate et futilitate etiam vim habeat salutarem. Eo in primis tempore sibi adhibebat, quod numquam non aliis commendavit, Socraticum illud *γνῶθι σεαυτόν*.

Et huic quidem praecepto religiosissime observando *quantum* debuerit Heusdius, definire non possum. Quin debuerit *plurimum*, minime dubito. Quod iis mirum videbitur, qui pleraque omnia, quae bona in illo et amabilia erant, sponte ac sine ullo impedimento sese exseruisse putant. Veluti modestiam viri ita nonnulli loquuntur, cum ut in aurea hac virtute paene adolevisse credas. Sed ipse Heusdius quoties de juvenili aetate loquebatur, alia proferebat omnia, cumque grata Wyttenbachii sui recordatione subnascentem illo tempore vanitatem memorabat et arrogantiam. In auctiore *Epistolae ad Creuzerum* editione narraturus fuisset, quid sibi accidisset, primum Wyttenbachio traditis aliquot in Platonis aliorumque loca conjecturis. Juvenis saepe praesens in magistri bibliotheca rogatusque non-

1) Vid. supra p. 19.

numquam, quid de hac ipsius conjectura, quid de aliis aliorum judicaret, aliquis sibi ipse videbatur nec sane contemnendus. Hoc non latebat Wyttenbachium, caventem fere, ne discipuli spiritus sumerent. «Itaque ille — inquit Heusdius — acceptis, de quibus equidem praeclare existimabam, conjecturis, vix eas inspicere, mox de manu ponere et de aliis mecum rebus agere: deinde mensis unus, et alter, item tertius: neque ille earum mentionem facere, neque ego sciscitari, quae hujus esset silentii causa, audere. Tandem cognovi causam, sed tum cognovi, postquam ex ipso silentio uberrimum jam fructum ceperam. Nam quo magis nolle videbatur de inventis meis judicium ferre, eo pejus equidem de iis augurari coeperam. Veniebat item in mentem lectionis publicae, qua ille nescio quem terrae filium traduxerat, qui corrupta emendare ausus fuisset, anteaquam sana intelligere coepisset; tum quidem riseram ego cum condiscipulis ineptum et arrogantem hominem, nunc memet ipsum suspicabar illa in lectione significatum fuisse. Quid plura? sic meae me stultitiae puduit, ut, capto consilio, praeceptorem adirem, animum eo coram effunderem totum, sancteque promitterem, non prius me deinde corrupta tentaturum, anteaquam, ipso duce, sana coepissem intelligere. Ille ad haec ne verbum quidem, sed, aperto scrinio, expromebat inde schedulas meas, mihique eas reddens, vultu cum benevolentia ironiam spirante, — recte facis, mi Heusdi, ait, video te nunc temet ipsum cognoscere coepisse: quod quam sit difficile, ego in dies experior magis: cum haec scriberes, nondum te cognoveras: notulis tuis meum judicium adscripsi. — His me verbis, data dextra, dimittebat. Ego domum redux, quin aedibus praeceptoris

vix egressus, schedulas pervolvebam: inspicienti autem mihi, miserabile dictu! ubivis fere occurrebat margini adscriptum vel *locus ab auctore non intellectus* vel *locus integer et sanus, quamvis impeditus:* paucis conjecturis annotatum videbam *haud displicet*, duabus tribusve *hoc recte.* Quis mihi, his lectis, sensus fuerit, non attinet dicere; postea similia passus, illum respiciens diem, subjeci interdum mihi *τέτλαθι δὴ, κραδίη.* Sic ille prudentius efficaciusque quam longis orationibus, homines fere enecantibus, me reprehendebat, utque postea vidi, id agebat fere Socrates ille meus, ut mentis mihi oculum aperiret, quo me ipse cognoscerem, judicarem, corrigerem.» Jam perspicuum, quod supra attigimus,[1]) cur Wyttenbachium Heusdius suum sibi Socratem fuisse dictitaret. Ac probe animadvertendum, quanti huic esset, quod a magistro non modo in praesens vanis purgaretur opinionibus, verum etiam sedulo converteretur in semet ipsum, seque sensim explorare et judicare assuesceret; ut, sibi aliquando relictus, intrinsecus vim peteret erroribus, si qui deinde aut similes prodirent aut novi accederent, fortiter resistendi. Et prodierunt reapse, iique aliquanto vehementius. Nam Trajectinum munus postquam juvenis summa cum audientium approbatione auspicatus erat institutionisque novitate ac momento placere omnibus coeperat, flagrans eum invasit gloriae cupido. Id mirentur fortasse aetate provectiores Trajectini cives, qui ante hos triginta quinque annos Heusdio familiariter usi, citius modestiam ejus laudant, quam

---

1) P. 35.

reprehendunt ambitionem. Sed modestiam hîc ne concludamus urbanitatis finibus, temet ipsum in ore habere vetantis magnosque improbantis de propriis laudibus meritisque clamores. Haec enim parvi utique momenti abstinentia est, nisi ex interiore manet tui ipsius atque hominis cognitione. Quodsi illi dubitent tamen, sciant, idem se ab ipso Heusdio accepturos fuisse, si brevissimam de vita sua Scriptionem elaborare potuisset, in qua hoc praeterea exstat memorabile effatum: «tantum profecto abest, ut, quae multis placuit opinio, modestia mihi naturâ sit propria.» Scilicet certandum viro secum ipso fuit, habebat quae compesceret, non continuo semet ipsum sibi subjecit aut ad integram suam virtutem pervenit. Quod in Socratem transtulit, urgentem illud *γνῶϑι σεαυτόν*, «quo quis magis certare cum erroribus suis debet, eo illum magis semet ipsum cum attendere, tum explorare» [1]) id equidem fluxisse ex intima persuasione et experientia arbitror. Sed veri amore roborato, Heusdius ambitionis vanitatem atque ineptias perspexit; in se ipse perpetuo intuens, eam nactus est virium conscientiam, quae hominem vehementius incitat ad praeclara, quam bene gestis delectat et pascit; [2]) exin ab aliis laudatus, sibi saepe placere nullo modo potuit, et adeo non laudes et gloriam quaesivit, eas ut, si posset, effugeret, deque iis in alios conferendis auctor exsisteret. Cujus rei exemplum afferam cognitu dignum. Anno 1828 Societas *Literarum Neerlandica-*

---

1) *Charact. princ. Phil. vet.* p. 30.

2) Huc pertinet gravissimus *Initiorum* locus II, 3, 226—230, *de modestia philosophi, cum sensu facultatis suae immensae maximarumque rerum studio conjuncta.*

rum Leidensis aureum nummum proposuerat, in quodque triennium, ei scriptori, qui proximo decennio sive patriae historiam, sive linguae scientiam et eloquentiam, sive poësin, optimo in patria nostra ornasset libro. In Quinqueviris de praemio, quod a. 1830 primum decerneretur, ad Societatem relaturis erat Heusdius, scriptor *Epistolarum de natura et consilio Institutionis Superioris*. Hoc opus ut literis nostris decori et ornamento, ita dignum esse judicabatur, cujus ad adeptionem praemii ratio haberetur. Verum Heusdio id minime in votis erat. « Epistolae — inquit mihi — curabo ne in censum veniant. Vereor autem, ut Societatis consilio satisfieri a nobis possit. Sed scin' quid velim? missa ancipiti illa et multis in hac patria nostra certissime displicitura indagatione, eum ornari virum, cujus diuturnam et vero saluberrimam in literis nostris vim suspicimus omnes: Palmium, in eloquentia familiam ducentem; ecquis eximio Societatis Leidensis honore non dignissimum pronuntiabit? » Haec ille. Novimus autem, Societatem assensam Quinqueviris esse, prius consilium dissuadentibus, suadentibus vero ut Bilderdykio et Palmio, suis utrique meritis excellentissimo, aureus donaretur nummus. 1) Pariter ipse aliquot annis ante, quum ordinis leonis Neerlandici insignibus ornatus esset, « pudet me — ajebat identidem uxori — hujus honoris, quem in egregios quosdam viros collatum haud video. »

Sed attingebam modo veri amorem. Hujus ex incre-

1) Vidd. *Handelingen van de jaarlijksche vergadering der Maatschappij van Nederlandsche Letterkunde te Leiden*, 1828, p. 64; 1829, p. 71; 1830, p. 44; 1831, p. 43.

mentis quantos fructus Heusdius ceperit, conjicere ex ipsius adeo errorum suorum commemoratione licet. Excellens in eo ingenium agnoverat Wyttenbachius, contulitque in eum vetus illud: *inest enim naturâ philosophia in hujus viri mente quaedam.*[1]) Mira ingenium illud facilitate et constantia intendebatur. Quae aliunde acceperat, ita elaborabat ut sua fierent, neque aegre nova parere videbatur. Cujus rei et scholae Heusdii et scripta sunt indicio. Sed in fertile ingenium, nondum satis explicito atque firmato veri amore, varia opinionum commenta cadunt, a quibus alii facile abstinent. Et Heusdius juvenili aetate nimia captus fuerat antiquitatis admiratione. Noctu atque interdiu veteres cogitans, *Wyttenbachii discipulus*[2]) Latium somniabat et Romam et villam Horatii et Ciceronis Tusculanum, et orbis antiqui velut patriae suae desiderio tenebatur. Nihil magnopere, nisi quod antiquum esset, pulcrum bonumve habebat, male secum actum putans, quod *hoc* aevo, *hos* inter mortales sibi vivendum erat. Quaecumque parum laudabilia occurrebant veterum facta, aut depellere molestam eorum cogitationem conabatur, aut parata qualiscumque tandem excusatio erat. Et si putari videretur in Ciceronis, in Platonis *sui* scriptis atque philosophia non tamen plane deesse, quae improbares, id vero aegre ferebat. Omnino, ut ipsius verbis dicam, servus erat phantasiae suae et ludificantium ejus mentem opinionum. Sed veri amor eum meliora tum de aevo suo tum de antiquitate docuit et vero vindi-

---

1) Vid. supra p. 33 et *Bibl. Crit.* III, 3, 67.
2) *Cf.* omnino *Epist. ad Creuz.* p. 35 seq.

cavit in libertatem. Huic se magis magisque tradens, didicit a falsis notionibus *idealia* et ab his *ideas* sejungere. Illa ipsa cernere in imperfectis hominum populorumque actionibus desiit, studium vero illorum exprimendorum animadvertit, viditque porro, quum alia aliis hominibus temporibusque idealia sint, exigenda haec, ut de eorum veritate constet, ad ideas esse pulcri, boni, justi, sancti. Sive potius has ideas ipsi tandem menti humanae tribuens, internum sensum eo diligentius acuendum et perficiendum esse statuit, quo magis inde omnis judicii de idealibus integritas et firmitas penderent. Itaque «a memet ipso — ajebat — incipiendum. Sensum pulcri et boni et justi inprimisque veri, communem mihi cum omnibus hominibus, hunc artium et disciplinarum studio, veterum recentiorumque lectione, cum aliis colloquendo unaque investigando, continenter acuere pergam. Id quo melius mihi cedet, eo minus falsas notiones et *φαντάσματα* pro puris idealibus, nubem pro Junone, amplectar, eoque certius meum erit de eo, quod revera pulcrum, revera bonum et justum et sanctum est, omnino de eo quod *verum* est, judicium.» Aptissima sane ad Heusdium cognoscendum verba, quibus ut ipse alia addidit lectu perdigna, ita nobis animadvertendum est, dehinc eum studia et vitam jungere arctissimo vinculo didicisse. Tenebat illud et referebat prorsus *ὁ δὲ ἀνεξέταστος βίος οὐ βιωτὸς ἀνθρώπῳ* «studiisque — ajebat — qui non ipse emendatur neque alios emendare conatur, quid sibi operae pretium facit? Laudetur ob doctrinam licet: sed animum quando negligit, quando plenum eum ambitionis, livoris, invidiae, suspicionum, aegrum omnino esse sinit, quo tandem pacto felix erit? — Hoc praestantissimum est, quo

magnus vir ornetur, laudis testimonium: *excellebat inter aequales, sed in vivendi agendique principiis perpetuo simplicitatem pueri retulit.*» [1]) Sic Heusdius ultimum studiorum propositum, totius hominis perfectionem, magis magisque spectare coepit. Nec profecto veri amorem, quo ad saniora se revocatum esse fatebatur, alere umquam desiit. Ejus contra illo nemo se magis indigere sensit. Quocirca et severior paulatim in explorando sese, et liberior in iis reprehendendis exstitit, a quibus antea omnem arcuerat reprehensionem. Multi mecum hanc in veri studio progressionem eamque ad vitae exitum augescentem animadverterunt. Inde crevit et maxima quidem aetate jam provectioris evasit in ipso Platone dijudicando libertas, hoc lectoribus symbolo significata ἀλλ' οὐ γὰρ πρό γε τῆς ἀληθείας τιμητέος ἀνήρ. [2])

Sed facta illius severitatis et libertatis mentione, haud praetermittere licet, eamdem internae vitae vim verecundiae cujusdam atque cautionis effectricem fuisse, qua in maximarum rerum studio non altius ille, quam hominem deceat, evolare conaretur. Hinc maturiore aetate non tantum philosophi esse judicabat *multum credere, nihil scire, omnia explorare*, neque in ore modo habebat *quis amissa, quae pueri sensum refert, fide, philosophi nomine appelletur?* [3]) sed ex eodem etiam optimorum progressuum fonte verba senescentis in exordio *Scholae Polybianae*, quae haud minus ad interiorem Heusdianorum operum intelligentiam faciunt,

---

1) *Br. over H. Ond.* p. 105, 306, 317—327 et *Protrept. ad bon. art. Stud.* p. 16.

2) *Charact. princ. Phil. vet.* p. 95. Cf. supra p. 193.

3) *Br. over H. Ond.* p. 106 et 125.

quam a philosophis in primis speres ut memori pectore condantur. Quum enim priorum disquisitionum initio optavisset, ut Socratis genio retineretur, si forte ultra, quam deceret, progressurus esset, «illa — inquit — abstinentiae salubritas num nobis illic obtigerit, penes alios judicium erit; sed necessariam unicuique et vero philosopho talem cautionis et ἐγκρατείας facultatem esse, id ipsa nobis persuasit, quam instituimus, disquisitio. Genius ille si quidem perpetuo scholae Socraticae earumque, quae inde prodierunt, scholarum curam gessisset, quantae levitatis et temeritatis immunes omni aevo philosophi fuissent! Profecto illud γνῶθι σεαυτόν praecepti vim obtinuisset, ut e justis principiis omnia, quae ad hominem pertinent, ducerentur; nec vero conatus supra vires prolati aut, quae nescirentur, sciri visa fuissent. Numquam philosophia evasisset disciplina, nedum summa disciplina, sed philosophia mansisset, nec philosophum de via decedere sivisset, qua ad summam illam disciplinam, ad ipsam sapientiam, lente sed firmiter pergeret. Non temere quis ad Deum se erexisset, ut e Divina Natura, ac si ipse Deus esset, omnia explicaret, verum semet ipso atque homine explorando magis magisque intellexisset, quae sit rerum divinarum ratio; tantumque abfuisset ut putasset se summam sapientiam assecutum esse, ut contra semet ipsum emendare studuisset ad similitudinem cum Divina Natura magis magisque promovendam. Omnium vero minime ad eam quis proruisset temeritatem, quae cuncta, quin ipsum Deum *a priori*, ut putabant, sibi proponere et ad hanc normam res humanas omnes, ipsas adeo religiones, ordinare et informare ausa est. Haec omnia evitata fuissent, si Socratis genius, ad retinendum et avertendum unice

efficax, philosophos perpetuo rexisset. Ceterum nobis quidem, ceteris aliorum judicio submissis, nobis, inquam, philosophiae viam, quae ad sapientiam ducit, invenisse videmur. Quae opinio eo certius mihi augetur, quo magis intelligo, non aliam esse viam, quam nostra nobis religio a pueris inde monstravit, imo vero nos hanc tenentes discere religionis nostrae (quod quanti refert!) sublimem veramque naturam ex merito aestimare et suspicere.» [1])

Haec omnia eo, ni fallor, valent, ut intimum Heusdii secum ipso usum hujusque momentum maximum quodammodo suspicemur. Et usus hicce mirum quantum robur accipiebat a sensu religioso, quem ille, progrediente aetate, inquisitionis diligentia vehementer acuerat et ad sui constantissime retulit emendationem.

Verum Heusdius ex hac domestica et interna vita in publicam prodiens variisque officii sui partibus fungens, qualem tandem se praestitit virum? Nihil proferam, quod, superioribus cognitis, non facillime intelligatur. De doctore Academico nota sunt omnia. Sed eâdem, qua munus professorium obibat, in ceteris versabatur singulari diligentia. Die 16 m. Aprilis a. 1816 Sebaldo Ravio, nonaginta annorum seni, successit in Bibliothecae Academicae Praefectura. Si quaeritur, perfectine, quem hodie intelligimus, praefecti speciem retulerit, parata est negatio. Haud pauca in hujusmodi viri studiis sunt, in quae ne Heusdius incumberet, et aliorum negotiorum multitudo et propria studiorum ratio vetabant. Atqui perfecti amantibus prorsus distinguendum est in-

1) *School van Polyb.* p. 1.

ter Bibliothecarum praefectos, nullo praeterea munere distractos, et doctores Academicos, quibus, ut in patria nostra plerumque obtinet, earumdem praefecturae, tamquam accessio quaedam, mandantur. Tali accessione ornatus Heusdius, multum curae posuit in Bibliotheca, superiore tempore tantum non neglecta, ad maximam discentium doctorumque virorum utilitatem referenda. Huc praeter insignem in omni doctrinae genere librorum bonorum ac necessariorum copiam, quae paulatim comparari coepta est, duo praecipue factura videbantur, alterum supellectilis in aptum locum translatio certaque distributio, novi catalogi confectio alterum. Quum enim locus in S. Johannis aede, libris asservandis destinatus, nec capere plures posset, et ab aëre ac ventis parum munitus esset, eo pauciores illum hiberno certe tempore adibant, quo difficilius erat in diversis veteris catalogi, anno confecti 1727, supplementis reperire, quod quaereres. Utrumque incommodum, Heusdio moderante, sublatum fuit. Anno 1820 Bibliotheca in praesentem translata est locum, amplum, elegantem, in octo partes lacunaribus ornatas vestibuloque aut distributum, magnaque librorum reperiendorum, legendorum, excerpendorum commoditate se commendantem, et Heusdii repraesentantem plane pulcri sensum. Eodem fere tempore, variis laboribus exantlatis, scriptus catalogus exstitit, ita literarum ordine compositus atque per cistas distributus, ut singuli librorum scriptores singulis paginis continerentur. Mox, quanta in pristina Bibliothecae sede solitudo, tanta in praesenti frequentia animadvertebatur nullius non doctrinae studiosorum aut ad ipsa scrinia legentium, aut sedentium ad mensam nuntiis literariis destinatam, aut in cubiculo contiguo

studiis operam dantium, aut libros, nomine apud Custodem edito, domum asportantium. Quaenam in his omnibus Heusdii cura ac providentia fuerit, neque ex iis, quae ipse a. 1821 Rectori Magnifico suppeditavit, neque ex ipsius ad catalogum, postea editum, *Praefatione* cognosci ullo modo potest. Aliorum merita ex vero celebravit ille, de se, ut par erat, tacuit. Quod a duobus Rectoribus Magnificis publice animadversum est, quorum alter, « tu — inquit — in *Praefatione* tua latentem hactenus Bibliothecae nostrae historiam scripsisti, accuratam fere dixerim, nisi unum hocce desideraretur, ut, te ipso referente quaenam alii praestiterint, aliis scribendum restet quaenam tua sint erga Bibliothecam et catalogum merita. Tibi enim debemus eam, qua gaudet hodieque, conditionem. » [1]) Libens Heusdius bonarum artium fautores in Bibliothecam introducebat, iisque, singulorum concinnitatem et simplicem elegantiam tum pulcerrimum in Apollinis simulacrum aspectum admirantibus, ea humanissime monstrabat et narrabat, unde benevolentia erga Bibliothecam suscitaretur, ipsisque de utilissimi apparatus amplificandi momento persuaderetur. Erant qui negarent, posse quem impensius accepto dono laetari quam Heusdium oblato Bibliothecae munere. Adde tamen, paratiorem eo ad hujusmodi liberalitatis memoriam recolendam fuisse neminem. [2]) Optamus autem, ut quotquot munifici artium

1) *Ann. Acad. Traj.* a. 1834—1835, p. 47. Cff. *Ann.* a. 1820—1821, p. 64, quamquam in aliis voluminibus merita praefecti non omittuntur. — Ipsa autem *Praefatio* a. 1835 seorsum quoque prodiit, accedentibus *tum aliis Bibliothecam spectantibus*, *tum Senatus Urbani Trajectensis decretis.*

2) *Praef. Catal.* p. 11 et *Orat. Saec.* p. 24 et fine.

doctrinarumque fautores esse et possunt et volunt, haec teneant Heusdii verba, «in omni apparatu Academico nil esse bibliothecâ ad studia juvanda discentium doctorumque virorum utilius, imo necessarium magis. Cetera enim doctrinarum subsidia, quamvis suo aestimanda pretio, tamen singulis doctrinis singulatim prosunt: bibliotheca vero, quippe commune omnibus, unde proficiant, bonum continens, universis artibus doctrinisque pariter prodest.» [1])

Praefectus Bibliothecae non una laude conspicuae in plurium ore est, quam vel optimi Gymnasii Curator. Neque tamen Heusdium Curatorem deerant qui plurimi facerent. Hoc autem munus ille quatriduo brevius quam professorium gessit. Parum est, quod accepi, eum triginta quinque annorum spatio numquam non interfuisse alumnorum probationibus, quin ut interesset, citius interdum quam constituisset, in urbem rediisse. Eae enim ipsius deliciae erant, ut sic a principio inde notitiam futurorum sibi pararet discipulorum. Itaque alias etiam Gymnasium invisere, adolescentium progressus constanter attendere, explorare optimos, cunctos incitare avebat. Unde de nonnullis eorum, quos postea discipulos nactus est praestantissimos amplissimisque muneribus jure ornatos vidit, jam adolescentulis bene sperare didicit. Sed quod gravius, quaecumque institutioni emendandae et praeceptoribus ita muneri suo deviinciendis inservirent, ut alacri animo illud obirent, in his suadendis, promovendis, perficiendis totus erat. Hinc ab Ekkero, eximio Gymnasii doctore, ejus fulcrum atque ἄγαλμα

1) *Praef. Catal.* p. 16.

dictus est. Cujus effati vim ita quisque maxime intelliget, ut accuratissime Heusdianas de Gymnasiis opiniones ex *Epistolis de Institutione Superiore* cognovit, principiaque illic exposita ipsi assidue animo obversata fuisse teneat in scholarum Trajectinarum cura. [1]) Et hanc curam ille non invitis sed probantibus collegis adhibebat, viris prudentissimis summaque ejus humanitate et moderatione gaudentibus. Numquam enim res, in quibus plus aliis videbat, auctoritate sua urgere, verum rationibus allatis commendare conabatur, neque in his, neque in aliis, ubi sententia dicenda erat, consessibus iis se praeponens, cum quibus erat cumque una, sed admirabili conspicuus animorum conciliandorum studio et facultate, [2]) tum fortitudini in re, si quando requiri putaret, arctissime semper suavitatem in modo jungens. Fuisse autem novi, in quo interdum ab eo dissentiretur. Quoties enim Gymnasii commoda agebantur, non anxie ille sumtus considerare censebatur ex urbano aerario in ea erogandos. Quam negligentiam si forte ii fando audirent, quibus nihil excellentius, divinius nihil pecuniâ est omnemque institutionem quam minimis impensis contineri placet, hos pectus in omni scilicet largitione reprehendenda disertos faciebat. Et istorum quidem voces

---

1) Vid. Ekkeri *Epist. ad Fratrem* laud. p. 2 et 29. Operae autem pretium est Doct. viri disquisitionem de *Gymn. Traject. interiore ratione* cum Heusdii conferre *Epistolis*, p. 142 sqq. Intelligitur sponte, quî, ut ille p. 33 indicat, hoc in primis auspice, praeceptoribus Trajectinis meliorem experiri licuerit docendi viam.

2) Van Goudoever, Heusdii per viginti quatuor annos in Senatu Academico et Facultate Literaria collega, in *Levensberigt* supra p. 94 laud. p. 18.

Heusdius parum curabat. Sed cum sanioris mentis hominibus quam in partem tum dissereret, efficere ex hisce licet, quae Senem suum in *Epistolis* dicentem induxit. «Haud pauci patres familias haec loquuntur. — Rei familiari intentus sum, nec teruncium temere insumi volo, sed, quod liberorum educationem attinet, meis me bonis omnibus privarem, huic rite prospiciendi gratia. — Haec verba animum voluptate perfundunt: et sic statuendum est de civitatibus. Non pecunia locupletat, non impensae ad paupertatem redigunt gentem: sed quando ejus institutioni ita prospicitur, ut industriam et solertiam et rerum graviorum agendarum cogitandarumque peritiam cum animi constantia copulare discat, tum innumerae prorsus illarum impensarum usurae sunt nec computari eae magis possunt, quam adstringi ad calculos potest, quantam in paupertatem et corruptelam gens delabatur necesse sit, cujus institutio tenacitate vel perversa computatione negligitur.» [1]) Ceterum collegae quanti Heusdii vota facerent, post ejus obitum luculenter probarunt. Eum enim quum sub vitae finem aptiores aedes summo saepe jure Gymnasio optantem audivissent, hanc rem studiosissime in Senatu Urbano urgendam esse censuerunt, sibi quippe amici tamquam ultima voluntate mandatam. Ac votorum quidem compotes evaserunt, novumque Gymnasium hoc ipso anno inauguratum est. Nos cognita Curatorum erga collegam pietate hujusque, in minoribus adeo, sententiam probandi voluntate, accepimus omen.

Quis vitam Heusdii contemplatus, utilem eum civem

---

1) *Br. over H. Ond.* p. 203.

negabit fuisse? Erat autem, ut dudum indicavi, [1]) patriae amantissimus. Quam calamitosum esset patria carere pro qua viveret, his terris a Napoleonte Franciae adjectis, penitus sensit. «Eo tempore — inquit — si eramus affecti, ut nostrae vitae principium vim suam amisisse videretur nosque in dies miserabiliter tabesceremus.» [2]) Quare, nostra nobis reddita αὐτονομίᾳ, summopere laetabatur, inque bono, quod nobis obtigerat, grate praedicando cedebat nemini. Exin qualiacumque patriae evenerunt fierique ad ejus salutem promovendam poterant, haec ei curae cordique erant, et summa virium intentione ac voluptate nitebatur, ut diligenti juventutis παιδείᾳ patriae prodesset. Nam hunc de ipsius sententia studiorum fructum esse oportet, ut iis optime praeparemur, qui aliquando non tantum nobismet ipsis vivamus, sed nostro quique loco plurimum consulamus patriae. Rebus a. 1830 perturbatis, in iis fuit parentibus, qui filiis, Academiarum civibus, nominis militiae dandi veniam haud negandam censerent, quo scilicet, flore juventutis praeeunte, vires omnium copiarum morales opportune roborarentur. Bis proximo anno in ipsis antiquae patriae finibus verba fecit ad Academiae Trajectinae alumnos, tam exercitu Neerlandico in Belgarum terram irruente, quam reduce eodem, rebus strenue gestis. Uterque sermo ad generosissimos erigebat fortitudinis, constantiae, honestatis, pietatis sensus, quibus ut numquam non milites imbutos videre velis, ita verus patriae amor carere neu-

1) P. 157.
2) *Br. over H. Ond.* p. 309.

tiquam potest.[1]) Et haec ei, pulso periculo, una atque constans fuit de justo patriae amore sententia. Testis est ejus ad filium *Epistola* a. 1834 ruri scripta, quam hunc paterni in ipsum amoris perpetuum habere jussit monumentum egregiaque ornavit gravissimorum monitorum copia. In quibus quid melius, quid filio et generosis, quos ille alloquitur, juvenibus efficacius umquam ad persuadendum erit quam haec boni civis verba? «Decet vos servatam patriam, imo renatam, quibuscumque potestis rebus, ornare: potestis autem moribus, discendi ardore, colendis doctrinis quibusque maximis, meritis in res ejus gravissimas: his vestrum, inquam, officium est et ornare patriam et partam ejus gloriam augere et confirmare. Nam nobis senioribus vos estis brevi, hoc ipso aetatis flore et vigore, successuri, ut vosmet jam maxime respiciat patria nostra. Ipsam mihi videor ejus vocem audire, cum, oculis in vosmet conversis, sic fatur: *in vestra caritate, adolescentes, vestrisque optimarum artium studiis acquiesco: hinc mihi ornamentum, hinc praesidium exspecto; sed, ne frustra exspectem, vos cavetote. Dos est magna, quae vobis obtigit, parentium virtus: hac vosmet dignos praestate, nec tantum literis artibusque majoribus laudabiliter tractandis, unde quis sibimet ipsi mihique gloriam consequatur, sed etiam omniumque maxime, ut illi factitabant majores vestri, virtute colenda. Gloriam ego numquam aspernata sum, sed nullam concupivi, nisi quae meritis esset quaesita; meritis*

1) *Aanspraken aan de vrijwillige jagers, Studenten der Utrechtsche Hoogeschool, te Hilvarenbeek* 2 *Aug. en te Oirschot* 22 *Aug.* 1831, van Ph. W. Van Heusde.

autem parum tribui, nisi quae cum moribus vitaeque integritate et sanctitate essent conjuncta.» [1]) Nota est multorum sententia, nullius facile in scriptis clarius imaginem scriptoris expressam exstare, quam in operibus Heusdii. Sic autem statuentes, hinc effecerint, eum in patria diligenda nec coeca domesticorum quorumvis admiratione nec peregrinorum neglectione correptum fuisse, eumque porro non nostratibus tantum sed exteris etiam populis bene cupivisse, tum vero penitus sensisse, patriae amorem sine libertatis studio et libertatem sine ea, quam in *Epistolis* explicuit, *αὐταρκείᾳ*, utrumque sine religione ac veritate vigere nullo modo posse.

Et vero sensus hosce, in scriptis obvios, vitâ magis magisque exprimere studebat; omninoque saluberrima Christi ad totum hominem instituendum vis conspici in eo poterat. Hinc summa et philosopho digna admiratio effati, unius in paucis sublimis: *πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντι με Χριστῷ*. Vim autem illam qui penitus assequebantur usuque suo cognoverant religionis nostrae doctores, his vir a Platonica philosophia ad Euangelium magis magisque explorandum progressus libentissime intererat verba pro concione facientibus. Quodsi in iis rituum nonnihil superesset nugarumque theologicarum, ferebat ob reliquam eorum praestantiam. Sed *αὐθάδειαν* in nullo hominum ordine vehementius quam in sacrorum Antistitibus aversabatur. Religionem qui, pueris aptam, despiciunt, parum ei intelligere videbantur, sine ea virum et senem fieri non posse, quem fieri utrumque

1) *Epist. ad filium Janum Adolphum Carolum*, hujus praemissa *Diatribae* mox laudandae, p. XIV.

oporteat. Quod si intelligerent, fore ajebat, ut rebus eam omnibus anteponerent, unam quippe per totam vitam, a primis nostris progressibus ad migrationem in aliam vitam, salutarem nobis et necessariam.[1]) Ipsi assidue obversabatur illud *ἀγαπᾷν Κύριον τὸν Θεὸν ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ, καὶ τὸν πλησίον ὡς ἑαυτόν.* Hanc divinam sententiam se fatebatur, oratorem sacrum, in singulis commendaturum fuisse orationibus.[2]) Tum efficax, opinor, atque diserta futura fuisset adhortatio viri, qui interna pietate se vigere cupiebat, qui alios consilio, opibus, auctoritate juvare gestiebat, qui in dijudicandis hominibus vitia eorum sedulo ab ipsis secernere, illa vituperare, hos non odisse,[3]) invidere nemini, bonis alienis laetari solebat, qui hoc dictitabat ostendebatque sibi longe omnium felicissimum videri, nullos plane habere inimicos. Acerrimus vero boni in hominibus spectator fieri non potuit, quin lenius interdum quam quod probares de iis judicium ferret. Id sibi evenisse seque deceptum nonnumquam fuisse haud dissimulabat, sed se maluisse addebat in hanc quam in illam partem errare.

Hujusmodi Heusdii vita fuit, singulari plane necessitudine cum studiis conjuncta iisque ad egregium aliquod virtutis fastigium directa. Haec conjunctio in omnem ejus institutionem scriptaque omnia penetravit, adeo ut facillime ubivis in varietate consensum, in progressione constantiam cernas, cunctaque ad talem referas virum, qualem nunc spectavimus. Sic autem ille

---

1) *Br. over H. Ond.* p. 130.

2) Eod. p. 33.

3) « *Ik haat de menschen niet, maar 't kwaad, dat in hen schuilt.* » Eod. p. 32.

publice privatimque vivens, summâ omnium, qui eum norant, gratiâ florebat, et ab optimo quoque plurimum colebatur; quod dici vix potest quam gratum ei acciderit, qui diligi se mallet quam nullis non honorum insignibus splendere. Cui quidem bonorum voluntati quum singularis et discipulorum pietas et amor uxoris et caritas liberorum tum vero conscientia vitae neque sibi neque aliis neque disciplinis suis frustra actae accederent, quot quantaque felicitatis consecutus est praesidia! Et ultimo vitae tempore ei institutionis fructus, quos toties in aliis viderat compluribus, in filiis quoque videre contigit, quorum duo, ipso auctore, studia sua in publicam notitiam pertulerunt. [1]) Numquam ego paternum ejus animum majore gaudio completum vidi quam alteris Academiae Trajectinae Saecularibus. Primo die festo Heusdius solemnem habuerat orationem, pietate erga Heringam ductus infirma valetudine brevi ante a suscepto dicendi munere impeditum, egeratque *de naturali artium et doctrinarum conjunctione*, argumento ex Encyclopaediae studiis promto et, in duplici omnium artium laudatarum vinculo, historiâ et philosophiâ, elegantis omnino explicationis ejusdemque peraptae ad doctorum virorum, qui Trajecti floruerant, merita exquisitâ cum facilitate indi-

---

1) J. A. C. Van Heusde, *Diatribe in Guilielmi Ludovici Nassavii vitam, ingenium, merita.* Traj. ad Rh. 1835. *M. Tullius Cicero Φιλοπλάτων. Disquisitio de philosophiae Ciceronianae fonte praecipuo.* Eod. 1836. *Disquisitio de L. Aelio Stilone, Ciceronis in Rhetoricis magistro, Rhetoricorum ad Herennium, ut videtur, auctore: inserta sunt Aelii Stilonis et Servii Claudii fragmenta.* Traj. 1839. — A. C. Van Heusde, *Commentatio de Hooftio et Tacito.* Gron. 1838. *Diatribe in locum philosophiae moralis, qui est de Consolatione apud Graecos:* quae Diatribe patris auspiciis incepta, anno demum 1840 Trajecti prodiit.

canda. Sed postridie in iis ille Professoribus fuit, qui octo Academiae alumnos *more majorum* summis in sua quique disciplina honoribus ornarent. A ceteris Clar. viris honores illi in dilectissimos discipulos, ab Heusdio in filium conferebantur natu maximum. Ac promotoris quidem verba erant pauca, et a vulgari praeconio merito remota; verum mox patrem audiebamus graviter monentem eum, a quo se intelligi probarique confideret. Inde commotus ille dulcissimis affectibus animus, quem vultus, habitus, singulorum fere verborum pronuntiatio prodebant: inde summa illa pectoris eloquentia, a frequenti concione alto ac solemni silentio excepta, quum toto *Protreptico*, tum his ejus verbis conspicua: « sine libertate nec discere quis, nec docere, nec vero vivere recte potest. Te vero non est quod moneam, quam ego intelligam *libertatem*. Tenes vetus de ea effatum, a Cicerone prolatum nostro: *legum omnes servi sumus, ut liberi esse possimus*. Civilis haec libertas est, quae *justitiae* vindicatur studio. Tenes et a puero percepisti, quod sancta nobis religio de libertate morali praecipit, *veritatem* esse, *quae nos liberos faciat*. Reconditae haec sunt sapientiae placita; sed tibi non obscura, mi fili. Nam crebri nobis de rebus hisce omnium gravissimis, ut meministi, sermones fuerunt. Tu autem me monentem, praecipientem, cohortantem et lubenter audiebas et intelligebas facile. Quo factum maxime est, ut necessitudo nobis amoris mutui, imo sanctissimum honestatis, virtutis, pietatis foedus intercederet. Sed haec antea inter nos coram fuerunt. Nunc vero, age, publice, in hoc solemni lectissimorum hominum coetu, foedus nos nostrum, Deo teste, renovemus. — Ceterum accipe, cum monitis ac praeceptis, vota etiam patris.

Vitae tibi felicitatem exopto, fili carissime; *felicitatem* autem non vulgarem dico, quae opibus, honoribus, famâ commendatur; illam tibi precor, quam optimus quisque maxime appetit, quae moribus, quae virtute quae pietate nititur. Haec vitae felicitas vera, qua sit, quemque habeat fructum, te non latet. Illius vitae nuper, cum Disquisitionem mihi tuam dicares, mentionem fecisti, quae sola *vitalis*, sola *vita* dicenda esset. Jungamus dextras, mi fili: hac tu vita, propitio Deo, fruere perpetuo!» 1) — Hinc, qualis ipse pater fuerit, clarius quam ex aliorum verbis patet. Nisi forte ea excipienda verba censes, quae excellenti filiorum debemus erga optimum virum pietati, quibus dubito num gratiora magisque ad persuadendum idonea proferri a liberis ulla possint. 2)

Illis autem bonis publicis atque privatis Heusdius sereno gratoque erga Divinam Providentiam animo fruebatur. In rebus secundis non exsultabat plurave perpetuo appetebat: sed quae fruenda dabantur, his *reapse* uti eaque ad suam et aliorum utilitatem conferre solebat, id etiam effatum tenens: *optimum obstat bono.* 3) In rebus adversis, quae ei pauciores quidem sed in paucitate graves acciderunt, ne prostratus jaceret, mens

---

1) Vid. *Oratio de naturali artium et doctrinarum conjunctione, alteris celebrandis Acad. Rheno-Trajectinae Saecularibus, habita d.* 13 *m. Junii a.* 1836: *accedit Protrepticus ad filium promotionis more majorum opportunitate;* auctore Ph. G. Van Heusde, p. 37.

2) Vidd. J. A. C. Van Heusde, in *Epist. ad patrem*, Disquisitioni de *Cicerone* φιλοπλάτωνι praemissa, tum vero in *Praef.* ed. sec. *Scholae Socrat.* p. XIII et A. C Van Heusde, in *Epist. ad fratrem*, Diatribae praemissa in *locum de Consolatione* et in *Praef.* Disquisit. historico-juridicae *de lege Poetelia Papiria.* Traj. 1842.

3) *Br. over H. Ond.* p. 180.

impediebat studiis et religione pasta.[1]) Aequabili conspicuus *εὐθυμίᾳ*, in agendi principiis eam, cujus in magnis viris amantissimus erat, ipse referebat simplicitatem pueri. Ut paucis complectar, quod in Senem suum hujusque familiares transtulit, valere pariter de Heusdiana domo censebatur: *μακαρίως μὲν αὐτὸς ζῇ, μακάριοι δὲ οἱ ξυνήκοοι τῶν ἐκ τοῦ σωφρονοῦντος στόματος ἰόντων λόγων.*[2]) Haec vita amoris, quae incredibilem plurimorum *ἀντέρωτα* suscitabat, quis non, ut diuturna esset, optavit, et vegeta aliquando concluderetur senectute? Mira illa ingenii alacritas et augescens sapientiae cupido, quae variis deinde vario modo profutura videbatur, tum optatum illud firmabant tum mentem nostram saepe a tenuibus avertebant corporis viribus, quibus quidem consulere parco cibo potuque ille et mature et facile assueverat, consulere vero prudenti ingenii intentione numquam didicerat. Sed irrita fuerunt vota, et Heusdius eo nobis ereptus est tempore, quo optimi viri obitum nemo unus in patria nostra exspectabat. Nam, ut illuc, unde orsi sumus, redeamus, in peregrinatione decessit.

Etenim sub ferias aestivas Heusdius laborum multitudine, partim voluntariorum, partim necessariorum, suavium partim, partim inanium sic fere defatigatus erat, ut animi corporisque recreatione indigeret. Hanc sibi vel rusticando vel peregrinando quaerere solebat. Quem morem ab a. 1816, gravia ni impedirent rerum momenta, constanter tenuit. Nam rus amabat et libentissime in illis patriae tractibus degebat, qui collium amoenitate fluviique vicinia exhilarantur et proceris

1) *Br. over het beoefenen der wijsg.* p. 5 et 82. Conf. supra p. 185.
2) *Br. over H. Oud.* p. 137.

arboribus consiti, laeta his interjecta arva habent. Unde Gelriae tractus quidam ei mirum in modum placebant. Attamen rusticari in villula malebat Trajecto ita vicina, ut, quum quotidie in urbem vehi posset, commorationem extra feriarum tempus proferre liceret. Quales duas deinceps prope pagum *de Bilt* conduxit peramoenas, quarum alteram a via publica paulo remotiorem et rusticis conterminam, [1]) de qua usurpabat *est in recessu locus*, alteri haud postposuit ad viam sitae et magnificis praediis cinctae. [2]) Ex iis autem cum ipso in vicinas silvas excurrentes ac suavissima loca lustrantes, quantam saepe ejus in colloquendo et naturae deliciis fruendo alacritatem vidimus: quoties illud recordati effatum sumus: «multum sane ab arboribus atque plantis discere licet.» [3]) Sed idem peregrinando cum uxore et liberis admodum delectabatur. Hos enim semper itineris socios habuit, et adeo se habere cupivit, ut sine iis vix pedem extra patriae solum prolaturus fuisset; animo enim ad suavissimos sensus explicito, indigere prorsus, coram quibus eos effunderet, quibuscum una frueretur, carissimis cognatis videbatur. In peregrinando autem tum cognitionis, quam domi aegre compares, fructus spectabat varios, tum animi e quotidianae vitae angustiis firmius erigendi voluptatem et utilitatem. [4]) Accedebat multorum praestantium virorum, quorum et in disciplinas suas merita suspiciebat et honorificentissimis literis identidem ornabatur, cognoscendorum cupido. Quis, Heusdianae memor de Heereno sententiae, hujus

1) Meijenhagen.
2) 't Ameroord.
3) *Br. over H. Ond.* p. 293.
4) Eod. p. 275.

invisendi cupidinem et maximam fuisse miratur et causam exstitisse praecipuam itineris Göttingensis a. 1824 suscepti? Inter hos duumviros «is erat animorum consensus, ut mutua, quae inde prodierat, amicitia Heereno usque ad cineres duratura videretur.» Et Creuzerum suum a jucundissima inde a. 1809 salutatione Trajectina cognitum, eo crebrius convenire Heusdius potuit, quo saepius in tractibus Rhenanis commorans Heidelbergam adiit. Sed quocumque tetenderat, nullis e locis tantum et redeundi illuc et plura videndi desiderium attulit, quantum ex Helvetia, a. 1828 partim lustrata. Hujus regionis singularem plane in eo vim fuisse mox *Epistolarum Epilogus* testabatur, dein sermones ejus perpetuo confirmarunt. Quibus si tandem in Italiae mentionem incideret, apparebat profecto, quanto vel particulae antiqui orbis videndae coeloque ejus fruendi desiderio teneretur. Verum alia ex aliis impedimenta quotannis eum ab itinere paulo diuturniore rejiciebant. Tandem aestivis feriis a. 1839 votorum compos evasurus videbatur. Supra quam cuiquam credibile est gaudebat. Mira cum voluptate spem suam amicis enarrabat, proximisque ab itinere diebus, ut affirmarunt illi, perpetuo ei in ore Geneva et Italia erant. Fallacem spem! In itinere eadem quidem hilaritas, exspectatio deliciarum in dies major, pristina horarum matutinarum cura, at celeris ambulantis inque curru sedentis lassitudo. Basileae, comitante filio, aegre Wunderlichium, Wettium et Hagenbachium salutatum adibat, quamquam cum illo de Erasmo, cum his de Straussio atque praesenti theologiae conditione sermones miscens nullum ἀσθένειας sensum prodebat; sed ad suos redux sub vesperam febriculę

corripiebatur, Bernam tamen perendie proficisci minime vetante. Ibi febris et redire et ita denuo decedere, ut Genevam pergere non dubitaret. In exoptatam urbem quum venisset, triduum jucundissime exactum fuit. Ad lacus Genevensis ripas in Alpes prospiciens, satiari magnifico spectaculo non poterat. Quidquid suavitatis clarorum hominum in suis ipsorum aedibus recordatio habet, hoc in Voltarii et Staeliae secessibus effuse percipiebat. Die Martis, qui erat 23 m. Julii, vallem *Chamouny* cogitabat. Sed illuc ne excurreret, vehemens faciebat lateris dolor, inde, ut videtur, contractus, quod pridie e maximis coenaculi caloribus in maeniano se reficiens Boreae objecto, obrutus somno fuerat. Ad morbum exacerbandum quam vim hepar habuerit, quo Heusdius minus sano utebatur, equidem nescio: id constat, eum decem annis ante Lipsiae sic affectum hepatitide fuisse, ut vitae metueretur. Illius autem itineris memoria continuo cognatorum sollicitudinem augebat, mox acerbum luctum opportune moderatura. Nam, sedato licet lateris dolore, febris tamen remissio effici nullâ artis salutaris curâ poterat: hac vero et continua et assiduam afferente delirationem, tenues corporis vires adeo absumebantur, ut, quid immineret, cognatorum tandem nemini dubium relinqueretur. His lecto, unde haud recesserant, adstantibus nulloque morientis sermone confirmatis, Heusdius die Solis, vicesimo octavo mensis Julii, sub horam pomeridianam quintam, placide exspiravit, aetatis anno sexagesimo primo.

Nolo describere, quod sentiri, non describi debet, qua tunc mente uxor et liberi in mediis peregrinis essent, qui, ut filius ait, exceptis paucis, ipsorum neque dolorem intelligere neque jacturae magnitudinem suspi-

cari poterant. [1]) Id unice memorandum, praeeunte matre, liberos haud omnia prius quam hanc reputasse felicitatem suam, quod patrem non in Lipsiensi itinere amiserant, exclusi etiamtum ab Academica ejus institutione. Hoc grati animi sensu in summo moerore fulti, non verebantur difficultates celerrimi in patriam reditus sponte sua augere. Nam e patris sermonibus de reliquiis hominum, extra patriam exstinctorum, huc modeste casteque traductis colligere licebat, nihil se illius menti adversaturos esse, siquidem talia ipsi sequerentur exempla. Quidquid igitur nonnullorum prudentia merito objiciebat, nullis sese difficultatibus deterreri a consilio patiebantur, quod multis etiam optimi viri amicis discipulisque probatum iri confidebant. Vix tristissimus nuntius patriam nostram pervaserat, quum ipsi, ingentibus superatis molestiis, reliquias, nullius peregrini curae in itinere commissas, eas in aedes traductas videbant, unde nondum duobus mensibus ante laeti cum laetissimo conjuge et patre egressi fuerant. Sed gratiam illis habemus, quotquot die 14 m. Augusti in sepulcreto pagi *de Bilt* justa peregimus. Illuc nemo invitatus, nulla Heusdio nostro displicens funeris pompa arcessita, complures autem ultro venerunt, cognati, amici, Curatores, Professores, discipuli pristini recentissimique: venerunt Vaillantii fratres. Illic nudo capite animoque penitus commoto Goudoeverium et Royaardsium parentantes audivimus et, nullius non aetatis viri nos tradentes lacrymis, conspiciendum lugentibus filiis praebuimus, quanti faceremus patrem, doctum quippe

---

1) A. C. Van Heusde, in *Epist. ad fratrem*, laud. Diatr. praemissa p. XII.

eumdemque bonum virum. [1]) Et ego summo pariter dolore affectus, meque doctoris lumine, parentis caritate orbatum videns, in certiorem tamen spem ducebar immortalitatis et, postquam domum redux avunculi verba legeram, in itinere, ut veri simile est, scripto mandata: moliri ipsum *novum Timaeum*, sublime argumentum, adumbrandum autem non in musei angustiis, sed in amplissimo divinae majestatis theatro, mentem ad Dei venerationem aperiunte totam: tum igitur cogitavi: — Non vidit illa Helvetiae loca, non Italiam, non lacum Comensem, verum illuc quum iter parabat, eo abiit, ubi genio indulgendi opportunitas ei amplior est, purior, sanctior.

Hanc opportunitatem tibi, carissime Heusdi, minime invidemus et, quotiescumque eo nos cogitatione convertere audemus, tuos ut in vero bonoque, ex quo hinc abiisti, progressus suspicemur, toties nos incitari sentimus ad praeparationis tuae diligentiam sequendam. Tua consuetudine perpetuone carituri simus, an vero eâ aliquando ad perfectionem propius accessuri, equidem *statuere* non ausim; sed illud teneo, quaecumque nobis divinitus eventura sint, ea fore optima. Et Deum precor, hanc nobis mentem duit, ut sive nosmet ipsos sive cognatos discipulosque nostros excellentibus ingenii animique tui monumentis pascere conamur, in flagrantissimum tuum intueamur veri amorem; quo sic nobis praeire studuisti, ut illos non possimus te indignos vocare discipulos, qui nihil sibi prius potiusque esse cupiunt quam tuum illud: *οὐ γὰρ πρό γε τῆς ἀληθείας τιμητέος ἀνήρ.*

1) Locum illum adeuntibus facile est mentem ad cogitandi sublimitatem erigere, his lectis Heusdii (Cf. supra p. 233) in lapide sepulcrali verbis,

„*Die niet als kind gelooft, hoe kan die wijsgeer heeten?*"

MEMORABILIA

TEMPORE

DISTINCTA.

Pag. 5. *dubii quippe*, an l. num.
» 9. perae *pretium* l. operae.
» 41. *bonis* om-nibus l. omi-nibus.
» 48. horumque l. harumque.
» 84. nuper l. paulo ante.
» 89. *usi* fuerant l. erant.
» 113. *argumentandi subtilitate*, *sed* l. exsistit, *sed*.
» 153. *velut* prassentes absimus l. praesentes adsimus.
» 164. partem *certe* l. partim.
» 236. *restibuloque* aut l. auctas.